



**De origine novi dei missatici, quondam in Anglia mortui, nunc  
denuò ab inferis excitati, Dialogi VII : in quibus, purissimi  
sacrae Scripturae fontes, ad impurissimas scholasticae  
doctrinae lacunas collati, non tantu?m verum Coenae  
Dominicae usum ostendunt, sed etiam impium Missae  
Papisticae abusum patefaciunt**

<https://hdl.handle.net/1874/402391>

*sec*

d e

# ORIGINE

NOVI DEI MISSATI.

C I , Q V O N D A M I N A N G L I A

mortui, nunc denuò ab inferis excitati:

## DIALOGI VII.

*In quibus, purissimi sacræ Scripturae fontes, ad impurissimas Scholasticae doctrinae lacunas collati, non tantum verum, Cœna Dominicæ usum ostendunt, sed etiam impium, Missæ Papisticae abusum, patefaciunt.*

SIMONE ALEXIO AVTHORE.

M. D. LVIII.



# T R P O G R A - PHVS CANDIDO

LECTORI S.

N hoc senescentis seculi extre-  
mo tempore, in quo Dominus  
admirabili misericordia, qua er-  
ga generis humani salutem af-  
ficitur, verbi sui facem accen-  
dit, videmus quemadmodum diuersa electis  
suis dona concesserit, ut gloriam diuini nomi  
nis pro viribus singuli propagent. Hæc illa est  
negociatio, quam Euangelicus ille Paterfami-  
lias peregre profecturus, seruis suis, dum redi-  
ret, tantopere commendauit. Atque in hoc  
negociationis curriculo constituti, alii maio-  
rem aliis aut etiam minorē, pro sui quisque in-  
genii modulo, & quam diuinitus acceperunt  
facultate, fructum atque usuram in Ecclesiam  
conferunt, ita tamen, quod omnes eum quem  
possunt cursum tenentes, uno eodemque ani-  
mo ad eam metā contendant, ut eos qui adhuc  
tenebris obuoluti sunt ad illam admirabilem  
gratiæ lucem & suavitatē, quæ nobis in Chri-  
sto æterno Dei Filio exhibetur, adducant. In  
hoc totus cùm sit Simon Alexius, vir, cui pro-  
pter insignem ministerii verbi Dei functio-  
nem, atque ob amicitiam & communis quoque  
patriæ memoriam, plurimum tribuendum

## E P I S T O L A.

existimo, id etiam iandudum testatum voluit  
Dialogis his scriptis, quibus aduersariorum  
technas & detegit & impugnat. Hos quidē non  
edēdi causa olim Londini scrips̄erat, sed vtil-  
lustrissimi viri & Christo fidelissimi marty-  
ris Thomæ Crammeri, apud quem tum age-  
bat, mandato satisfaceret: nihil enim antiqui-  
us habebat ille Archiepiscopus Cantuarienſis,  
cūm primūm ē tenebris scholaſticæ doctrinæ  
ad veritatis cognitionem adductus fuit, quām  
vt Antichristi longè latēque extensum impe-  
rium imminueret: quod commodissimè fieri  
posse ſperabat, ſi infelix doctrinæ papisticæ  
folium paulatim ita euelleretur, vt ad Euan-  
gelii purissimam ſementem collatum, ſenſim  
euaneſceret. Huius rei gratia Alexium exce-  
perat, & idoneum huic negotio existimau-  
erat: vt qui procelloſis illis quæſtionum vndis  
dīi multumque iactatus, ad optatum veritatis  
portum, optimi Dei beneficio, tandem appu-  
lerat. Ereptus itaque & iam in portu nauigans  
vt vitium ἀχαειςίας (a quo fideles omnes, quan-  
tum fieri potest, abhorrire oportet) deuita-  
ret, hoc egit, vt calicis noxia pharmaca, quibus  
haetenniſ totum inebriauit orbem Romanæ  
aulæ incubator Antichristus, nota faceret, &  
ignorantes (ſi fieri poſſit) à meretriciis il-  
lius poculis auocaret. Cæterūm, quām fit il-  
la commonſtratio hodie neceſſaria, re vera  
comperi. Nam cūm ſuperiori anno Worma-  
tiæ

## PISTOLA.

tiae esse, vbi comitia de Religione habebantur, conueni Louaniensis ordinis Doctorem, hominem haud improbum : qui inter primos ad ea comitia à rege Philippo cum plerisque aliis missus fuerat, qui cum Melanchthon, Brentio & aliis Christianis Doctoribus, de fidei Catholicæ capitibus colloquium habitu-  
 ri cerebantur. Illum ex omnibus mihi dari o-  
 ptabam, in ciuitate præfertim libera, quæ ego aliquando Louanii, apud Stephanum Tileta-  
 num agens, acrem & vehementem in primis  
 oueram. Cùm itaque, vno comitatus Gessui-  
 no Zeuelio Iuris consulto Aquisgranensi, ho-  
 minem salutarem & ea quæ primo congressu  
 dici solent protulisse, ipsèque obiter resalutat-  
 asset : adiecit, se nihil mecum de vlla re actu-  
 rum, nisi nomen meum prius ederem. Roga-  
 vi, Ecquid meminisset Crispini illius Attre-  
 batensis, indicta olim causa ob Euangelium a-  
 pud eos damnati. Hic, ille auditio nomine in  
 admirationem & suspiria prorupit, & cùm  
 multa de patriæ amore, de honorum ac ho-  
 norum existimatione inutiliter recitasset:  
 tandem cò delabi orationem cupiebam, vt de  
 Religione, ob quam comitia habebantur, a-  
 liquid inter nos diccretur. Post multos vltro  
 tandem & citro sermones habitos, in hanc vo-  
 cem, ad quam iam peruenire volebam, exclamauit, Nullam esse Patrum autoritatem que-

## E P I S T O L A.

pro nobis faceret, quin potius habere illos abs  
ie, & me in eo falli & decipi, quod tantum ad-  
uersariæ partis libros legissimè, non verò eos  
qui & meritò habentur & dicuntur Catholi-  
ci. Hæc cùm prolixè dixisset, & pluribus illi  
respondere gestiret animus: excusauit cœn-  
tempus iam appetere, & se iniuriam aliis co-  
mitibus (qui omnes eodem Carmelitano ho-  
spitio excepti erant) facturum, si diutius me-  
cum ageret. Itaque non potui eo congressu ad  
id peruenire, cuius potissimum gratia homi-  
nem conueneram. Quæ quidem obiter hæcti-  
bi narranda existimaui, amice Lector, vt in-  
telligas istiusmodi homines, quoties de veri-  
tate agendum est, ad eas latebras semper con-  
fugere, nempe ad suos patres Orthodoxos, ad  
determinationes (vt vocant) id est, ad veteres  
illas coaxationes, quas ex foetidissimis doctri-  
næ impurissimæ paludibus exhalant. Itaque  
ipsos congressus piorum, male sibi consciit,  
triam in libera patria, non tātum reformidant,  
verum etiam in ipso limine respuunt quicquid  
latum non sapit. Hos idcirco Dialogos, quibus  
author (qui ante agnitam veritatem etiam in  
eorum luto hæserat) graphicè eorum ridicu-  
las ineptias depingit, ipsas denique eorum vo-  
ces ad viuum exprimit, typis mandando cu-  
rauimus, vt ad manus multorum peruenirent,  
ne quis posthac sophisticæ scholæ fallacias,  
aut verborum fulmina pertimescat: néue am-  
pullis

EPISTOLA.

pallis illis crassis & sesquipedalibus verbis,  
quæ in Transubstantiationibus Missaticis i-  
psi inflatis buccis proiiciunt, quemquam am-  
plius fascinent, aut attonitum reddant: sed ve-  
tis vnuſquisque præfultus argumentis, & ex i-  
psis sacræ Scripturæ fontibus petitis respon-  
ſionibus, superbam istorum hominum infan-  
tiā contemnat, ac conuinçat. Bene vale.

DODECASTICHON AD  
EVNDEM, DE UTILITATE HO-  
rum Dialogorum.

Optima quæq; bonus qui nouit gramina pastor,  
Non lolium gregibus, non aconita legit.  
Fraudis amans verò steriles solet inter auenas  
Pascere, nec sanum tradere gramen oui.  
Nec satis est, sanis lethales adiicit herbas,  
Quid magis esse potest exitiale gregi?  
Hoc opus, hic labore est, gelidū vitare venenum,  
Scit nisi quid fugiat, quidue sequatur onis.  
At si nosſe velis fugienda, sequendaque, verses  
Vera quod obijciens, falsa refellit, opus.  
Nam violauerunt quæ Sacramenta profani,  
His pius vtendum te docet iste liber.

# DIALOG

## PRIMI

### Summa.

PRIMUS dialogus continet solennem concio-  
nem cuiusdam doctoris Oxoniensis insignis  
Papistæ, habitam Lōdini ad crucem sancti Pau-  
li, post mortem pientissimi regis Angliæ Edou-  
ardi v i. præterea regulam, ad quam debent ex-  
aminari omnes cōciones, & interpretationes fa-  
çœ scripturæ, antequām recipiantur ab Eccle-  
sia Dei. Describit similiter ex prophetia Danie-  
lis, mores, vitam & doctrinam ipsius Antichri-  
sti, & ministrorū eius: ostendēs quare nominat-  
us sit Papa quo iure, aut titulo possideat omnia  
mundi regna: cum responsione ad quæstionem,  
An fidelibus liceat sacris Papisticis interesse, &  
eorum sacramentis communicare.

DIALOGUS

PRIMVS.

Interlocutores,

THEODIDACTVS ET PHI-  
LOTHEVS.

THEODIDACTVS.

*ALVE mi Philothee,  
ecquid est quod te nunc  
adeò tristi vultu, lentó-  
que, prætermorem, gradu  
incedentem conspicio?*

PHILOTH.

*Opportunè quidem, mi  
Theodidacte, te offers: atqui demissum vultum,  
tardumque incessum efficit tristissimæ rei tristis-  
simæ profectò meditatio.*

THEODIDACT.

*Quæso te, quicquid id est, in sinum meum ef-  
sundas, ut (quod ait ille) aut re, aut consilio, aut  
consolando iuuem. solet enim familiaris amico-  
rum sermo magnam animi molestijs alleuatio-*

B.

## DIALOGVS

nem afferre.

PHILOTH.

Recte dicas, & te ob id, mi Theodidaclte, audi  
quærebam, nam post mortem p̄issimi illius An-  
glie Regis Eduardi VI. ita Christiana resp. reue-  
re cœpit, ut præter bonorum aliquot pia & sancta  
colloquia, nihil nobis sit consolationis reliquum.

THEODIDACT.

Anne solum puræ religionis ruina, que morte  
tanti Regis accidit, animum tuum angit?

PHILOTH.

Nō illa quidē modō, si qua spes melioris statu-  
usquam appareret, sed blasphemæ in populi voce  
impostorum hominum, qui verbo Dei effrenata  
quadam audacia insultat: id, inquam, me pessime  
habet. Nam cùm hactenus Euangelici nostri con-  
cionatores ( quorum nos ministerio à simulachris  
Dominus ad se conuertit, ut in sanctitate & iu-  
stitia, spiritu ac veritate, ipsi, utpote Deo viuēti,  
seruiamus ) constantissimè docuerint unū Deum  
colendum: unūque Mediatorem Dei & ho-  
minum Iesum Christum adorandum esse: nunc  
prorsus aliam doctrinam audire cogimus. Pa-  
cis enim hinc diebus prouenerunt concionatores  
noui, quibus nihil stultius, ineptius aut indoctius  
finis

singi potest: qui quū olim esset: pisces muti, nūc in  
 ranas versi, ex impura illa Babylonica palude co-  
 axant: immo mira metamorphosi cucullis induiti iā  
 suggestus conscedunt, ac publicē intonant & ra-  
 bidē deblaterant, Iesum Christum eterni Dei  
 Patris ac virginis Mariæ filiū, corporaliter, na-  
 turaliter, realiter, substancialiter, personaliter, in e-  
 adē subsistētia, quātitate, qualitate & essētia qua-  
 natus est de Virgine, & qua in cruce pependit,  
 diuersis ac propè infinitis locis plusquam millies  
 quotidie in Missa papistica inter manus etiam  
 impurissimi sacrificuli se visibiliter adorandum  
 exhibere. Hæc autē eorum impudentissima est  
 oratio. hinc mea vultus mœstitia, debilitasque  
 pedū. Quid enim posset magis à veritate dissen-  
 tanum dici, quām Christum verum hominem  
 iā in cælis sedere ad dextrā Dei Patris, & beata  
 illa immortalitate frui, & nihilominus corpora-  
 liter, naturaliter, substancialiter & personaliter in  
 varijs Missis, vel ut alii perfrictæ frontis homi-  
 nes clamitat, ubique esse? Parū sanè hodie ab-  
 fuit, quin nugatore illum qui hanc fabulā magno  
 supercilio me præfete enarrabat, interpellare, nisi  
 temeritatis notam timens & infirmitatis meæ  
 conscientis, discedere potius suauisset animus.

## DIALOGVS

THEODIDACT.

Prudenter sanè, mi Philothee, fecisti. neque enim ibi erat disceptandi locus, præsertim in ea urbe, ubi magnos tumultus excitasset isthac tua interpellatio: satis est, quod te nugas doctoris illius papistici minime approbare tali discessione declaraueris.

PHILOTH.

Verum non plenè intelligo quibus argumentis refelli ritè possint falsæ eiusmodi de corpore Christi & noxiæ imaginationes. Quamobrem te, mi Theodidacte, obsecro, cum in sacrarum literarum cognitione valde sis exercitatus, ut explices (quod cum alijs post communicare possim) quemadmodum in hac controuersia ex verbo Domini sit sentiendum & credendum, ut si tenebras (quod Deus auerat) rursus ingruant, videamus quomodo in domo Dei versari oporteat, quæ est Ecclesia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis: vel si eo nos Dominus dignetur honore, ut corā Regibus & Principibus reddenda sit fidei nostræ ratio, promptè id & intrepidè secundum verbum ipsius, rogati faciamus.

THEODIDACT.

Iusta certè ac pia, mi frator in Christo charissime

## P R I M V S.

5

nissime, est hec tua postulatio, neque enim quod  
 a Domino accepi, quemquam celare velim: sed  
 si quis audire audiat, ipse multò audiens quod de-  
 dit Deus innumquemque docuero. Itaque te ro-  
 go ut diligenter auscultes. Cæterum ut res ob o-  
 culos quasi spectanda proponatur, utramque do-  
 ctrinam examinari oportet, ut quæ verbo Dei  
 consentanea, & ob id amplectenda sit cognos-  
 scatur: altera verò quæ cū Christi Euangeliō non  
 quadrabit, ut impostura rejiciatur, atque, ut in-  
 quirit Paulus, anathema sit.

Est enim verbum Dei lydius lapis, ad quem  
 omnes conciones, omnes denique sacræ scriptu-  
 ræ interpretationes examinandæ sunt. Hoc e-  
 nam factitarunt Thessalonicenses illi nobiles,  
 qui auditas Pauli conciones domum reuersi, ad  
 scripturam & verbum Domini exigebant &  
 conferabant. Qui itaque docent Christum resur-  
 rexisse, & corporaliter in cœlum ascendisse, at-  
 que ad dextram Patris sedere, confona dicunt ar-  
 ticulo nostræ fidei: Ascendit in cœlos, sedet ad  
 dexterā Patris omnipotentis. Sic enim Euange-  
 lista, imprimis Marcus: Dominus quidē Iesus,  
 inquit, postquam loquutus est discipulis, sublatus  
 est in cœlum, & sedet ad dextram Dei: & a-

## DIALOGVS

Eorum primo, ipsi Apostoli cùm Christus in celum eleuatus esset, ipsique defixos oculos in celum tenerent, Diuinam hanc increpationem audierunt, Viri Galilæi, quid statis intuentes in celum? hic Iesus qui eleuatus est in celū, sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in celum. Si ergo Christus expectatur donec ad nos veniat, iam non est nobiscum corporaliter. Idem Apostolus alio loco dicit, Si consurrexisti cum Christo, superna querite, ubi Christus ad dextram Dei sedet. id etiam confirmat Ioannes, Filii mei, inquit, hoc scribo vobis ut non peccatis, & si peccaueritis, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum. Non ait in his omnibus locis Scriptura, nos habere aduocatum in Missis inter manus sacerdotis, sub pane delitescentem vel in templo suspensum, aut aliquo loco inclusum, ut certis diebus in pompis circumferatur, ut suos Eihnici deos manibus circungestarunt: sed ait nos habere Aduocatum apud Deum in celis. Qui itaque docent Christum hominem, quantum ad presentiam corporalem & naturalem, ea substantia qua natus est è Virgine & qua pendit in cruce, ad dexteram Patris sedere, moque celi loco verè & realiter contineri, consenserunt.

tanea articulo nostra fidei dicunt, & conuenientia Patrum scriptis: nempe Origenis, Ambrosij, Cyrilli & Augustini, atque aliorum veterum Scriptorum testimonijs. Qui verò docent Christum hominem, quantum ad præsentiam corporalem, realem, naturalem & substancialem, corporaliter, realiter, naturaliter, substantialiter, in eadem substantia & natura esse in Missa inter manus sacerdotis, hoc asserunt sine autoritate sacrae Scripturæ: imò insinuant Christum in vera, reali & naturali substantia carnis non venisse, aut veram carnem ex virginе Maria, sed tantum corpus fantasticum habuisse. Si enim credimus Christum veram carnem ex Virginе sumpsisse, cum illa non sit in diuinitatem mutata, aut permixta, sicut impudenter affirmabat Appolinarius hæreticus, eo non adducemur, ut credamus eam ipsam carnem eodem tempore pluribus locis naturaliter & corporaliter adesse: nam pari ratione posset esse ubique, & omnia implere: quod tantum Diuinæ essentiæ proprium est. Hac enim ratione Didymus magnus ille Theologus, libro De Spiritu sancto, probat spiritum sanctum esse Deum: quia

B. iii.

eodem tempore pluribus locis esse potest. Omnis creatura, inquit, sive visibilis sive inuisibilis aut circumscribitur aut continetur certo loco, ut creaturae corporales & visibles, aut infra proprietates propriæ substantiæ, ut Angeli & alii & creaturae inuisibilis: ita ut nullus Angelus simul & eodem tempore possit esse in pluribus locis. Cum autem Spiritus sanctus simul & eodem tempore sit in pluribus locis & in pluribus hominibus, concludit Spiritum sanctum necessariò esse Deum: eodem argumento utitur Basilius magnus, lib. De Spiritu sancto, cap. xxvii. Sic etiam nostra memoria docuit & scripsit piissimæ memoriae Christi seruus Thomas Crammerus Archiepiscopus Cantuariensis, maximum Angliae decus atque ornamentum.

## PHILOTH.

Quid igitur sentiendum est de ijs qui nunc deblaterant Christi reale, naturale, corporale & substantiale corpus in eadem substantia, qua natus est de Virgine, esse in Missa, & attricari in manibus sacerdotis: ac uno eodemque tempore pluribus & diuersis esse locis ea forma, qualitate & quantitate, qua pro nobis pependit in cruce.

Theo-

Sanē tales concionatores vñfano spiritu a-  
guntur: & velut illæ vulpes apud Ezechielem,  
capite xiii. In desertis & ruinosis macerijis (qui-  
bus vineæ sepiuntur) delitescentes, ex insperato  
nunc prodeuentes, vineam Domini deuastare co-  
nantur, & à genuina Christi doctrina populum  
abducere. Nam quū institutio sacrosanctæ Cœnæ  
Dominicæ sigillum sit & sacramētum perpetui  
fœderis & reconciliationis generis humani cum  
Deo. Christus idcirco nobis illud dedit, ut corporis  
& sanguinis sui æternæ reconciliationis & fœ-  
deris perpetuam haberemus memoriam: quoties,  
inquit Apost. manduaueritis panem hunc, &  
calicem Domini biberitis, mortem Domini an-  
nuntiabitis donec veniat. Hoc sacrosanctū fœdus  
Domini Antichristus molitur non tantum pro-  
fanare, sed etiā sacrosanctam Cœnā Dominicā,  
ad perpetuam memoria Dominicæ passionis in-  
stitutam, prorsus conuellere, & ipsius loco idolum  
illud abominationis & desolationis, quod signifi-  
cauit ipse Daniel cap. ix. nempe abominabile &  
blasphemam Missam papistarū, in Ecclesia col-  
locare. Hoc profectò idolum meritò dicere possis-  
tum illum esse Maoz in deum virium & for-

titudinum, Missarum scilicet Deum: quia virtuti, efficacia & fortitudini Missarum, & illius noui & recentis Dei, qui in missa Papistica conficitur & colitur: cui Basiliscus ille Romanus universum suum acceptum fert imperium, hunc solum adorandum & colendum auro, argento, gemmis, aliisque rebus pretiosis proponit, ac coniungit cum alieno deo, quem qui agnouerit, eum augebit, ut est Daniel. cap. xi.

PHILOTH.

*Quisnam est deus ille cum quo coniungit Antichristus ille deum Missarum, deum virium & fortitudinum?*

THEODIDACT.

Coniungite eum cum auaritia, quae radix est & mater omnis idolatriæ, ut docet Paulus ad Timot. vi. Itaque qui deum recentem & nouum, deum illum Missarum cum mammona coniunctum colit, non potest Deum verum colere & honорare. Quis enim possit duobus seruire? hunc autem solum deum Missarum, deum nouum & recentem honorabit Antichristus, & colet auro, argento & gemmis, aliisque rebus pretiosis: & eos qui eum agnoscent pro vero Deo, honoribus augebit, & dominos multorum faciet: potest statim enim dabit eis (ut promittit) in cælo, in terra, in inferno & purgatorio, in aere, in mari & in omnibus abyssis. Atque ut quamplurimos huic novo deo acqui-

acquirat, atq; ad seruicium inuitet, instituit prærogatiwas & dignitates ministrorū huius noui deiz: quas per spinosos sophistas & rabulas scholasticos publicari voluit: inter quos quidā Gabriel Biel ad blasphemandū Deum cæli & terræ, & ad stabiliendam horribile missæ Papisticæ idololatriæ armatus super canone Missæ sic dicit, Tanta est dignitas sacerdotis & eorū qui inseruunt deo (nempe Maozin) ut nullis verbis possit explicari. Superat enim disertissimas oratorū linguas, & culmen eminentiæ cuiuslibet. Hoc verò probat auctoritate Gregorij papæ, qui huius recentis dei summus patronus extitit: Honor, inquit, fratres, & sublimitas episcopalis & sacerdotalis nullis poterit rebus adæquari, si enim regū fulgori cōpares & principū diademati, quasi plūbi metallū ad aurifulgore comparabis, quippe cùm videas regū colla & principū submitti genibus sacerdotū, & osculata eorū dextera, eorū se credunt orationibus cōmuniri: & licet cunctos natura homines aquales, & nulla graduum conditione dispares produxerit Deus: disponēdarum tamen rerū suscepimus ministerium hos & illos ceteris prætulit, quo sit ut tanto clericalis eminentia terrenos superet principatus, quanto animabus corpora, perpetuis

transitoria, terrena cælestibus superantur. Sed quid opus est ( addit ) terrenis comparationibus immorari ? cum ad sacerdotum autoritatem Angeli cælorum ciues non audeant aspirare, cui nanque Angelorum dixit Deus, Tibi dabo claves regni cælorum? ad eos enim dixit, Accipite Spiritum sanctum, quorum remisit is peccata, remittentur: & quorum retinueritis, retenta sunt: & quod longè maius est, dixit eis, Hoc facite in meam commemorationem. Hæc Gregorius. Et mox iterum idem exclamat, O sacerdotes veri Solomonis pincernæ, Iesu Christi camerarij, atque dispensatores ministeriorum Dei, attendite in quo gradu & dignitate sitis constituti. Exclamat ( ait Gabriel ) sanctus Gregorius de vestra insignitate generosa. O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus velut in utero virginis Filius Dei incarnatur: o sacrum & cælestis mysterium, quod per vos Pater, & Filius & Spiritus sanctus operatur uno eodem momento. Deus qui præsidet in cælis, in manibus est sacerdotis in sacramento altaris super hoc tam insigni priuilegio stupet cælum, miratur terra, reveretur homo, horret infernus, contremiscit diabolus, veneratur quamplurimum angelica celsitudine.

do. Hæc ex Gregorio Gabriel affert. Perhorre-  
scisne ad tam infuetas blasphemias & verborum  
portenta: ad eam (inquam) noui dei superbam e-  
lationem, ut etiam omnem terram precio diui-  
dat, constituatque principes?

## PHILOTH.

Vnde illi regna & diuitiae, cum dicat se vi-  
carium Christi, & successorem Petri: Christus  
vero dicat vulpes foueas habere, & volucres cæ-  
linidos, Filiū autem hominis non habere ubi ca-  
put reclinet: & Petrus ipse poscenti stipem, re-  
spondeat aurum se & argentum non habere?

## THEODIDACT.

Ex eo intelligere debes & re & nomine  
verè esse Antichristum, quādoquidem in omni-  
bus Christo aduersatur. Ab annis enim sex-  
centis sexaginta sex (tot enim propemodum flu-  
xerunt anni à morte Christi) cum episcopus ille  
Romanus primum cœpit vicarius Christi in ter-  
ris nominari, & titulum œcumenici usurpare ac  
mysterium iniquitatis & tyrannidem papali-  
ter (ut ita dicam) exercere: tunc, inquam, dia-  
bolus ille qui iam enī extulerat in excelsum mö-  
tem superbie & appetitus dominandi, osten-  
dit illi omnia regna mūdi, & dixit, Hæc omnia

tibi dabo, si prostratus adoraueris me: quibus polli-  
citationibus auditis, Romanus, ille Romanus, in-  
quam, Antichristus gloriae cupidus, cœpit omni-  
no animū adiçere ad hanc Sathanæ theogiam,  
quam aperiè professus est Ioannes ille xxiii. in  
concilio Constantiensi, & eodem cursu perrexe-  
runt omnes eius successores, quemadmodum &  
antecessores ipsius, qui euerso prorsus vero Dei  
cultu, idolorū altaria extruere innumeracaperūt,  
in quibus deo nouo sacra facerent pro viuis &  
mortuis. Mystæ autem & sacerdotes, quibus  
terram precio dividet, ipsum sequuntur ingentio-  
Nam appetitu dominandi & turpis lucri gratia,  
Christo abnegato, soli deo Maoz in seruient. Sunt  
enim illi pseudoprophetæ & falsi doctores de-  
quibus prædixerat apostolus Petrus, Fuerant in-  
quit, & pseudoprophetæ in populo, quemadmo-  
dum & inter vos erunt falsi doctores, qui clam  
introducent sectas perditionis, accersentes sibi ce-  
lerem interitum: & plerique sequuntur eorum  
exitia, per quos via veritatis maledictis afficie-  
tur: & per auaritiam de vobis negotiabantur,  
& abutentur ad quæstum. Tales que sua sum-  
querunt, non que Iesu Christi, ut inquit Paulus

lus primo Timothei capite sexto. Ideò non acquiescunt sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, nec ei quæ secundum pietatem est doctrinæ: sed inflati & nihil scientes, insaniunt circa questiones & disputationum pugnas, ex quibus nascitur inuidia, contentio, maledicentia, suspiciones & conflicitationes prorsus sceleratae, qui existimant pietatem esse occasionem sordidi questus, qualis est illa Missarum nundinatio, vel qui existimant lucrum ex omni refacere, esse pietatem. Hos itaque, mi Philothee, concionatores fugiendos suadeo, tanquam execrandas pestes: sunt enim iurati Antichristi satellites, magna que illius meretricis Babylonica & sponsi: quorum amentia iam toti orbi innotescere incipit: persta vero in ijs quæ didicisti à fidelibus Dei ministris, quorum doctrina adiutus, è tenebris admirabile illud veritatis lumen adductus fui, ut seruias Deo viuenti: corum enim doctrina ex ipsis scripturæ fontibus originem dicit, & ad nos dimanat.

## PHILOTH.

Est, Deo gratia, Theodidacte, ob signatum per  
dus Spiritus Domini sigillo: & fide iā illud ac-

## DIALOGVS

cepi. Verum obiter ego te lubens interpellarem, meo & fratribus meorum nomine, de hac quæstione: Num fidelibus quos Deus per suam misericordiam e tenebris in admirabilem, modo aiebas, lucem Euangeliū euocauit, rursus concionatores papisticos audire, aut Missis interesse liceat: aut si quis vi cogatur, ut plerisque hoc tempore euenit, in templo in quibus blasphemiae committuntur, adire: an liceat deo illico Maozin, deo nouo & recenti à sacerdotibus fabricato aliquam significationem cultus dare?

## THEODIDACT.

Minime gentium: nam posteaquam abdixit nos Dominus ab inquinamētis mundi per agnitionem Domini nostri Iesu Christi. Si rursum ijs inuoluti relabimur in eam horrendam Missarum idololatriam, quæ committitur in cultu huius recentis Dei, postrema fient peiora priuibus: satius mulio esset non cognouisse viam iustitiae, quam ubi cognoverimus, conuersi ab eo quod nobis traditum est sancto Dei mandato, eueniret enim quod prouerbio dici solet, Canis reversus ad suum ipsius vomitum. & sus lora in volutabro coeni. si qui autem cogantur, & tyranni-

ta quadam & violenta necessitate adigantur, ut  
huiusmodi nephandis sacris intersint & viderint  
deum nouum, & recenter ore impio sacrificuli  
creatium eleuari, tunc sublatis in cæli oculis di-  
cant in cordibus suis, Te solum oportet adorare  
domine, dii enim qui cælos & terram non fe-  
cerunt, pereant de terra, & de his quæ sunt sub  
calo. Si verò liceat eis abesse, quasi à facie colu-  
bri fugiant omnia illa malorū consortia, & san-  
ctum Thobiam imitentur: qui quum esset in-  
nior in tribu Nephtalim, nihil tamen ille gesit  
indignum homine fideli, nam cum omnes irent  
ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex  
Israel, hic solus fugiebat consortia idolorum: &  
pergebat in Ierusalē ad templum Domini, iuxta  
præceptū verbi Dei: & ibi adorabat Dominum  
Deum Israel, omnia primitiua sua, & decimas  
suas fideliter offerens, ita ut in tertio anno profe-  
bitis & aduenis ministraret omnem decima-  
tionem: hæc & similia secundum Legem Dei à  
pueris obseruauerat, & ab omni idololatria ab-  
horrebat.

## PHILOTH.

Atqui exemplum Naaman principis mili-  
tia Regis Syriæ videtur contrariū suadere. Nam

C.

posteaquam fuissest recte institutus in fide, seruiebat adhuc Regi infideli, idola adorati in templo Remmon: licebit ne igitur eius exemplo seruis fidelibus cum dominis infidelibus, idolorum cultibus interesse, & illic dominis inferuire.

## THEODIDACT.

Exemplum istud Naaman tria nobis exhibet consideranda. Primum quod Naaman ille saniarem recuperatam non Elizeo prophetis sed soli Deo tribuebat, rediens enim ad virum Dei, postquam lauisset septies in Iordane iuxta verbum viri Dei, mutataque esset eius caro, veluti caro pueri paruuli, astitit ante virum Dei cum omni suo comitatu, ac dixit: nunc noui quod non sit Deus in vniuersa terra, nisi in Israel: in hoc sanè laudandus & imitandus est. Secundo considerandum est, quod Naamā posthac diis alienis non vult offerre holocaustū, aut sacrificium: sed soli Deo. An inquit, nō dari poterit de humo hac onus, quantū par muloru ferat. Siquidem seruus tuus posthac non sacrificabit holocaustū, aut sacrificium diis alienis, sed soli Deo: in hoc facto similiter & laudādus & imitandus. Tertiō considerandum est, quod agnito vero Deo, abnegatisque omnium idolorum cultibus, iterum seruit.

seruit Regi infideli in facto ubi aperta committitur idolatria: & in hoc facto vituperandus est, nec potest à peccato excusari: propterea deprecatur culpam cum ait, Propitius sit Dominus seruo tuo cum ingressus fuerit dominus meus templum Remmon, &c. Si hoc factum indiget condonatione, ipseque Naaman propria accusante conscientia petit id sibi ignosci necesse est illud factum peccatum fuisse coram Deo, alioqui gratia & deprecatione non indigeret: & per consequens non est à Christi fidelibus imitandum. Serendum quidem est dominis ait Paulus Ephes. 6. & principibus, sed in Domino: hoc est cum timore Domini in simplicitate cordis, sicut Christo.

## PHILOTH.

Nunc à te fideliter & pie in re sacra eruditus Deo Opt. Max. gratias ago: quod mētis meæ oculos ē profundis tenebris, quibus natura sumus immersi extulerit, ut capax fierē salutaris huius doctrinæ quam Dominus per te, mi Theodidae, obtulit, ut falsa à veris nunc facile dignoscere queam,

DIALOGI  
SECUNDI

*Summa.*

**H**abet hic dialogus repugnantiam inter doctrinam papistica de nouo deo in Missa papistica colendo: & fidei catholicæ assertiones, simulque docet quis sit character sacerdotalis, siue potestas conficiendi illius noui dei. Quales sint Sacerdotes papistici, & quare contra ordinatem Christi sunt ab Antichristo ordinati. Ex quibus lacunis hauserint potestatem conficiendi noui dei, & ad se solos pertinere afferant: & qua virtute Christū cælo prolati quinque vobis deducant.

PHILOTHEVS.

VNC demum intelligo  
quomodo oporteat nos in  
domo Dei, id est ipsius  
Ecclesia versari. Illuxit  
sane iam maior animo  
meo Dei notitia cum te  
audiui. Sed obsecro te  
optime Theodidacte, ne grauius feras si amplius  
quid

quid te rogem, ut me doceas & validis argumentis instruas, quibus blasphemam illam & Anti-christianam doctrinam de fictilio deo in Missa papistica adorando confutare, & eos qui à veritate abducti ab iis fuerunt, in viam reducere possim.

## THEODIDACT.

Hæc doctrina & vana assertio de recenti Deo colèdo facile posset cum ipsis authoribus confutari ac refelli, si quidem ipsi vellent sanæ doctrinæ aurem accommodare, & ei quæ secundum pietatem est analogiæ acquiescere. Omnis enim doctrina antequam ab uniuersali Ecclesia recipiatur, duobus opus habet. Primo, ut spectet ad honorem & gloriam Dei, & ad verum ipsius cultum referatur. sic enim testatur ipse Christus, eterna Dei veritas & sapientia, cùm inquit, doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me: Si quis autem voluerit voluntati eius obtemperare, cognoscet de doctrina mea utrū ex Deo sim, an a meipso loquar: qui à seipso loquitur propriam gloriam querit, qui autē querit gloriam eius qui misit illum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. Secundo, antequam doctrina aliqua recipiatur in Ecclesia Dei requiritur, ut conueniat

cū fide catholica: quæ sanè hoc dicitat, ut vnu Deū  
 in trinitate, & trinitatē in unitate veneremur,  
 nō confundētes personas, neq; substātiām separāt-  
 tes: ut in symbolo Athanasij habemus: sed ante-  
 quā responsionē solidā quā petis, aggrediar. Qua-  
 ratur (quæso) ab istis cōcionatoribus, quisnā sit ille  
 Deus qui in Missa conficitur, & quomodo inter  
 manus sacerdotis creetur, & carnaliter, & sub-  
 stātiāliter (sic enim ipsi loquuntur) se p̄æbeat bo-  
 nīs & malis videndū, māducandū & adorandū,  
 cūm eū supra caput extollūt. Quæramus inquit,  
 queū Deum videant, Patrē ne an filiū an spi-  
 ritū sanctū? non possunt dicere se videre Deū Pa-  
 trē. nā ipse ait, Non videbit me homo, & viuet:  
 & alio loco, Deū nemo vidit vñquā: lucem enim  
 habitat inaccesiblē, quem nemo hominū vidit,  
 neque videre potest, vt enim immortalis est, ita  
 & inuisibilis. Nec videt spiritum sanctū in sua  
 Missa: quoniā spiritus nec carnē nec ossa habet,  
 sicut dicit Deū Missarū habere: Si igitur deum  
 aliquē videant, filiū Dei videant necesse est: sed  
 vñtrā inquirendū est, an videant eum inquantū  
 Deum, an inquantum hominem. Non primum,  
 quia inquantum Deus, non est factus, nec crea-  
 tus, sed genitus. Deus autem quem se dicunt vi-  
 dere in Missa factus est, (¶ si fas sit dicere) cred

tus est ab ipso sacerdote, ut Papist& testatur. Ergo ille deus non est Christus Dei filius, & secunda persona in diuinis, nec est etiam Christus homo, quia Christus inquantum homo est, non est factus ab homine: sed conceptus est ex purissimo sanguine virginis Mariæ. Hic autem deus quem vident in Missa, quotidie conficitur à sacerdote habente characterem bestiæ: Est enim character sacerdotis, potestas ordinis, sive potestas conficiendi verum corpus Christi, & ipsum Christum, ut testatur Gabriel Biel lect. 1. 2. f. Quæ quidem potestas conferitur, secundum eundem, existenti in peccato mortali, & actu peccanti: nempe his qui propositum habent Missas celebrandi, pro viuis & mortuis in remissionem peccatorum. Illis tamen in hoc proposito existentibus, imprimitur character ille indelebilis, qui nulli peccato repugnat. Quantūvis igitur sacerdores sint blasphemi, impij, atque scelerati aut voluptatibus dediti, qualescumque, inquit, sint, manet tamen semper in eis potestas missandi & conficiendi corpus Christi. Addebat impudenter quidam glorioſus nebulo qui nuper Londini cōcionabatur quod minimus imò etiam pessimus inter omnes sacrificulos, maiore authoritatē haberet in

terris, quam maximus sanctus existens in celis.  
 Et Gabriel ille Biel cocludit supra citatis locis eos  
 grauissime peccare & errare, qui dicunt sacerdo-  
 tem in peccato mortali existentem non posse  
 deum confidere. Ad probationem autem sue  
 coclusionis, magistralem adducit rationem: quia  
 potestas conficiendi corpus Christi, inquit, immo  
 & ipsum Christum, non fundatur in gratia: nec  
 presupponit gratiam, sed fundatur in solo char-  
 actere sacerdotali. Ideo haereticus, ut ait ipse  
 Scotus dist. 13. quest. 2. quarti, potest corpus Chri-  
 sti confidere & quodammodo creare.

## PHILOTH.

Quomodo possunt haeretici corpus Christi co-  
 fificere, cum verba consecrationis (ut vocant) effi-  
 caciām habeant à fide? Accedit, inquit August.  
 verbum ad elementum, & sit sacramentum: non  
 quia dicitur, sed quia creditur. Præterea Hiero-  
 nymus super Amos inquit, Odit Deus sacrificia  
 haereticorum, detestaturque fætorem eorum: ergo  
 cum ipsi celebrant (eorum verbis vtor) nec ipse  
 Deus filium mittit, nec Angelos ut intersint sa-  
 crificio. Si autem non est hic cælestis missus, ibi  
 nō est Missa: ab hoc enim dicitur Missa, eò quod  
 cælestis missus ad consecrandum, & viuifican-  
 dum

dum corpus adueniat. Hac Gabriel lectione.

## THEODIDACT.

*Ad primam obiectionem respondent, dicentes non requiri fidem iustificantem, quam Augustinum Christianam vocat, sed sufficit fides ecclesie Romanae: quae potest cum peccato mortali consistere: per quam demones etiam credunt et contremiscunt: hoc est, sufficit ut sacerdos intendat sacerde illud, quod Ecclesia Romana intendit.*

## PHILOTH.

*Quid intendit (secundum eos loquar) Ecclesia Romana facere?*

## THEODIDACTVS.

*Intendit nempe id facere quod Christus fecit.*

## PHILOTH.

*Sed quid fecit Christus?*

## THEODIDACT.

*Christus (inquit) accepit panem, gratias egit, frigit, et dedit discipulis suis dices, Accipite et manducate, hoc est corpus meum: et hoc dicendo panem in corpus, et vinum in sanguinem transsubstanziauit. hoc ergo intendit Ecclesia: scilicet ut fiat conuersio panis in corpus Christi per sacerdotis ministerium, et hoc est quod debet sacerdos intendere. Ad secundam vero obiectionem*

dicūt in sacrificio hæreticorum quædam esse que  
 Deus odit, quædam que Deus non odit: videlicet  
 characterē esse à Deo, & ideo Deum illum non  
 odiſſe, &c. Atqui in eo summa cum impudētia  
 blasphemant, cùm character ille, id est potestas  
 missificādi, & conficiendi corpus Christi non sit  
 à Deo, sed sit character magna meretricis, de quo  
 scribitur in Apocalypsi, Si quis adorauerit bestiā,  
 & imaginē eius, & acceperit characterē bestiæ  
 in fronte vel in manu sua, hic biberet de vino ira  
 Dei. Suis imposturis ita demētarunt totū orbem,  
 vt eo redacti fuerint homines vt crederent sacer-  
 dores qualeſcūque sint, ſue boni ſue mali, ſue cō-  
 tinētes ſue adulteri, cōſicere posſe nō ſolum Chri-  
 ſtum iſum aut corpus Christi: verū etiam creare,  
 ita vt quidā ex eorū grege non erubuerit in hanc  
 vocē prorūpere. O venerabilis sanctitas manum,  
 ó felix exercitium, ó verè mundi gaudium, cùm  
 Christus tractat Christū, ſacerdos Dei filiū. Quis  
 vñqñā audiuit talia, quis vidit ſimilia? qui crea-  
 uit me ſine me, dedit (ſi fas eſt dicere) creare ſe,  
 & qui creauit me ſine me, creatur mediāte me.

## PHILOTH.

Totus perhorresco audies hæc verborū porten-  
 ta & tam horredas blasphemias cōtra Dēū meū:  
 totus

totus inquam, tremo & præ nimio dolore exclamare cogor cum Propheta, Dies tribulationis, dies blasphemie, dies hæc. Nunquid posteaquam sigulus ex massa terræ fecerit vasculū terreum, conuertetur denuò vasculum illud, ut faciat faclorem suum? Nos autem sumus in manu Dei omnes, sicut lutum in manu figuli: & ista vasilia & futilia adeò protervè insaniunt, ut audent dicere, se factorem suum facere, & creatore suum creare. Deus æterne & maxime, An inquam inter gentes audita fuit similis & tam horrenda blasphemia qualis hodie ab iis profertur?

## THEODIDACT.

Verè iis illud Davidicū Psal. 73. dici posset, Sub perbiacorū quite oderūt, ascēdit semper. Nō enim sufficit eis dicere se factore facere & creatorē suū creare: verū etiam impudenter & spurcissimo ore dicere, si corpus Christi, inò ipsem Christus absolute & simpliciter nūc desineret esse: ita vt nūc nō esset in cælo, nec in terra, nec inesse reali, & substantiali, nec inesse sacramentali: & sacerdos ferens characterē bestie Missam celebraret, & hæc verba, Hoc est corpus meū, cum intēio- ne cōsecrādi proferret super pane, illico (inquiūt) Christus de nouo inciperet esse sub sacramento

simpliciter & absolutè, & denuò produceretur,  
& verbum de nouo incarnaretur, sicut semel in-  
carnatum est ex Maria virginē.

PHILOTH.

O monstra, o portenta prorsus superantia blas-  
phemias Sennacherib regis Assyriorum! Quis m-  
quam audiuit hominem posse Deum facere aut  
creare? Ad tam horribiles blasphemias contre-  
miseret ipse diabolus, horreret infernus: sed qua-  
demum potestate dicunt se posse hæc efficere?

THEODIDACT.

Occulta quadam & incomprehensibili vir-  
tute, non illis insistente, sed assistente, ut ipsi di-  
cunt. Quemadmodum malefici & incantatores  
quosdam effectus producere dicuntur, ut subdu-  
cere lac vaccarum, atque huiusmodi agere natu-  
rali aliqua virtute occulta, siue bona siue mala as-  
sistente. Simili modo, inquiunt, accidit que fiant  
a sacerdote, nempe transsubstantiatio panis in  
corpus Christi, & vini in sanguinem.

PHILOTH.

Apta profectò comparatio, & conuenienter  
impurissimis labris lactucæ. Nam si occulta vir-  
tute hoc faciant, sibi assistente & non insisten-  
te: non multum mihi videtur illud differre ab  
incan-

incantatoribus & maleficiis qui diabolum cry-  
stallo, aut annulo suis carminibus mancipant.  
Nam isti eodem prorsus modo paucis quidem  
verbis Christum euocant, & eum sub panis fru-  
stolo, quoties volunt, venire & illic latitare  
cogunt, donec ab illis comedatur, aut suspen-  
sus in templo à muribus vel à vermibus consu-  
matur. Sed vtunturne quibusdam characteribus  
aut signis certis aut præscriptis verbis, ut solent  
incantatores & malefici?

## THEODIDACT.

Omnino. vtuntur enim multis crucibus, nem-  
pe decem ante consecrationem (vt vocant) &  
decem post consecrationem.

## FHITOTH.

Quibus verbis vtuntur? Incantatores sanè &  
venefici vt solent etiam sacræ Scripturæ verbis.

## THEODIDACT.

Vtuntur & hi quibusdam verbis saluatoris  
nostrí Iesu Christi, quibus vsus est in institutio-  
ne sacrosanctæ sue Cœnæ. Christus (inquit)  
eternus Patris filius, verus & summus sacer-  
dos seipsum in ara crucis, secundum assumptam  
nostræ mortalitatis substantiam, in humanæ re-  
demptionis precium immolatus, vt tati mune-

ris iugis in nobis maneret memoria, ac pro nobis  
qui quotidie peccando labimur, quotidie mystice  
immolareetur, corpus suum in cibum, & sanguine  
nem suum in potum, in nouissima coena tradidit  
sub eucharistiæ sacramento: dum accepto pane  
tias egit, fregit, dedit discipulis suis dicens, Acci-  
pite & manducate, hoc est enim corpus meum,  
quod pro vobis tradetur: tradiditque eis potestat-  
tē similiter faciendi, cum subdidit, Hoc facite in  
mei commemorationem: & ut ostenderet hoc  
sacramentum in Ecclesia usque ad finem per-  
misurum in passionis fne memoriam: adiunxit,  
Quotiescumque panem hunc manducaueritis, &  
calicem biberitis, morte Domini annunciationsis,  
donec veniat, nimirum ad iudicium.

## PHIOTH.

Bona quidem verba, si ad veram Christi in-  
stitutionem referantur.

## THEODIDACT.

Dicunt haec verba: Hoc est corpus meum: hab-  
bere potestatem & virtutem conuersuam sub-  
stantia panis in corpus Christi, & effectuè con-  
currere (ut causa sine qua non) qua possint cum  
suo canone iis verbis substantiam panis in corpus  
Christi conuertere, & ex substantia panis cor-  
pus Christi confidere.

## PHILOTH.

Atqui si panis virtute verborū efficeretur cor-  
pus Christi, singulis diebus aliquid adderetur cor-  
pori Christi, quod prius nō erat: & sic semper au-  
geretur, essetq; aliquid in Christi corpore quod nō  
esset natum ex Virgine, quod prorsus absurdū est.

## THEODIDACT.

Ex his sacræ scripturæ testimoniosis & rationi-  
bus efficax potest sumi hoc argumentum, quod  
ne ipsi quidē aduersarij negare possunt: illud quod  
est, & ita est, ut nunquā desinat esse, (utar enim  
corū verbis) nullo hominis opere cōfici, aut forma-  
ri potest: Christus & ipsum corpus Christi natu-  
rale, quod natū est ex Virgine, iandudu est & ita  
est ut nūquā desinat esse. Christus enim, ait Paul.  
Rom. 6. Resurgēs ex mortuis nō amplius moritur,  
mors illi nō amplius dominatur, quod enim viuit,  
viuit Deo: nēpe ad gloriā Dei, cuius virtute reu-  
tatus est ad vitam. Ergo corpus Christi naturale,  
quod natū est ex Virgine nullo prorsus humano  
opere confici denuò, aut formari potest. Præterea  
quidquid est corruptibile, nō potest in substātiā  
corporis Christi glorificati trāsire aut cōuerti, pa-  
nis est substātia corruptibilis, ergo substātia panis  
nō potest in substātiā corporis Christi incorru-  
pibilis & glorificati, transire aut mutari.

## DIALOGVS

PHILOLH.

*Agnosco hanc argumētandi rationem etiam aduersariis esse familiarem. itaque eam, sat sc̄io, reiicere non poterunt.*

## THEODIDACT.

*Falleris. Nam, ut iam s̄epius dixi, genus hominū adeò natura est controuersum, ut nunquam velit acquiescere ei quæ secundū pietatem est doctrinæ. sed quemadmodū I amnes & M̄bres restiterunt Moſi, ita hi resistunt veritati, ac videntur sese totos dæmoni & spiritui blasphemia deuouisse.*

PHILOTH.

*Ita omnino persuasum habeo ut dicis: verū istis omissis (oro) reuertamur ad illa verba trans substantiatiua, quibus dicunt sacerdotes posse Deum illū nouum producere & confidere: quemque ab eis, An illa verba à se habent virtutem illam conuersuam, substantiæ panis in corpus Christi: An ab ordinatione, vñctione aut sacerdotali charactere hanc accipiant potestatem. Si dicunt vñctionem, ordinationē & characterem dare potestatem verbis, cōficiendi corpus Christi: sicut videtur dicere Durandus primo libro, quem Rationale diuinorum inscriptis Rubrichis*

rubrica de consecrationibus, ubi sic ait, Manus sacerdotis ab episcopo inunguntur, ut agnoscat hoc sacramento, se per Spiritum sanctum virtutem suscipere & poteritam conficiendi corpus Christi. unde episcopus eos inunges facta magna cruce ait, Consecrare & sanctificare digneris Domine, manus istas per istam unctionem, & nostram benedictionem, ut quaecunque consecraverint, consecrentur, & quaecunque benedixerint benedicantur. Tunc sequitur neminem posse, nec unquam potuisse corpus Christi confidere, nisi prius unctionis fuerit ab aliquo episcopo, vel ab eius supraganeone. Et per consequens Petrus & Paulus qui nunquam fuerunt illa extrema & superstitione unctione peruncti, non potuerunt virtute eorum verborum, Hoc est enim corpus meum, verum corpus Christi confidere. Si vero dicant haec verba habere virtutem conuersuam ab ipso Christo immediate, quia virtute horum verborum (ut aiunt) Christus substantiam panis in corpus suum transsubstiuit, consequens erit, haec verba esse aequae efficacia tantamque habere virtutem, siue a laicis, siue a sacerdotibus unctionis proferatur. Nam cum Christus diceret haec verba, Hoc est corpus meum, hoc facite in meam co-

D.

memorationē, distributo pane, porrecto poculo, nō solūm pepigit fœdus cum Apostolis: verum etiam per hos cum omnibus fidelibus, qui per baptismū in societatem illius inferendi erant. Omnes ergo fideles alloquebatur, qui tunc, & futuri erant, pro quibus hoc corpus suum tradebat in mortem, ut per mortem aboleret eum qui habebat mortis imperium: hoc est, diabolum: & liberos redderet eos, quicunque metu mortis per omnem vitam, servituti erant obnoxij.

## THEODIDACT.

Bene dicas. Nam sicut Christus dedit potestatem credentibus in nomen eius, ut filii Dei fierent. Sic omnes fideles reges fecit & sacerdotes. Dillexit nos, inquit, Ioannes apoc. 1. & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Deo & Patri reges & sacerdotes. Idem confirmat Apostolus Petrus prima Epistola cap. 2. vos, inquit, estis regale sacerdotiū, genus electiū, gens sancta, ut virtutes prædicetis illius, qui ē te-nebris vos vocauit in admirabilem suam lucem, ut offeratis spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christū. Isti sunt sacerdotes quos Christus summus sacerdos suo proprio sanguine consecravit,

Secravit, & oleo l&etitiae & gratia spiritus sancti  
 perunxit. Confirmauit nos, inquit Paulus, 2. Cor.  
 11. Deus, qui & unxit nos, & dedit pignus spi-  
 ritus in cordibus nostris. Quemadmodum igitur  
 Christus verus & summus sacerdos, secundum  
 ordinem Melchisedech, oleo non carnali & vi-  
 sibili, sed oleo l&etitiae a Deo patre unctus est, ut  
 testatur Apostolus ad Hebr. 1. Sic uncti sunt  
 omnes Christi fideles, quos Christus constituit sa-  
 cedores, non ad conficiendum corpus Christi, sed  
 ad offerendū quotidie sacrificium eucharisticum,  
 nempe corpora sua, hostiam viuentem, sanctam,  
 Deo placentem, & rationalem: vel ut ait Oseas  
 cap. 14. ad offerendū vitulos labiorum, id est, ora-  
 tiones & preces. Sic etiā loquitur Apost. Hebr.  
 13. Christus Iesus inquit, ut sacrificaret per pro-  
 prium sanguinem populum suum, extra portam  
 passus est. Exeamus igitur extra castra, oppro-  
 brium eius portantes, p̄rque ipsum offeramus  
 hostiam laudis. Hec illa est oblatio munda,  
 quam Malachias capite primo predixit offeren-  
 dam Domino in omni loco. Ab ortu solis inquit,  
 usque ad occasum, magnum est nomen meum, in  
 gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur  
 nomini meo oblatio munda, quia magnū est nomē

*meū in gētib⁹, dicit Dominus exercitū. Quem  
textū exponēs Tertullianus lib. 4. cōtra Marcionē  
Oblatio mūda, inquit, est simplex oratio procedēs  
de corde puro, conscientia bona & fide non ficta.*

PHILOTH.

*Instituitne Christus in illa sua ultima cæ-  
na sacrificium propitiatorium, quod sacerdotes  
offerrent Deo patri, pro viuis & mortuis.*

THEODIDACT.

*Vnicum est sacrificium propitiatorium Deo  
gratum, quod à nulla creatura, sed per solum Ie-  
sum Christum pontificem futurorum bonorum  
potuit semel Deo patri offerri, & non plures, vt  
Apostolus ait Hebr. 7. & 9. Talis enim dece-  
bat ut esset nobis pontifex, sanctus, innocens,  
impollutus, segregatus à peccatoribus, & subli-  
mior cælis ipsis. Omnis quidem sacerdos assistit  
quotidie sacra peragens, & easdē sepius offerens  
hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata.  
Hic verò una pro peccatis oblata victima, per-  
petuò sedet ad dexteram Dei: qua quidem vni-  
oblatione perfectos fecit eos, qui sanctificantur.*

PHILOTH.

*Hac ex Epistola ad Hebreos petita, non li-  
beter audiunt sacerdotes Papistici: idcirco est illis  
sus-*

Inspecta, ut dicunt, vellent enim in hac humani generis redemptione, Missam suam papisticam, auro, argento, gemmis, & rebus preciosis ornatam, suas partes agere, & deum suum Maozin, deum nouum & recetem, ad hanc humani generis redemptionem & saluationem, aliquam bonam partem cōferre. Nec enim nesciūt, si haec doctrina de gratuita redēptione & saluatione per Christū locum obtineat in Ecclesia, actū esse de ipsorū nūdinationibus. Ne autem videantur hoc absque zelo legis & religionis facere, dicūt Davide & Salomonem plures sacerdotes, & leuitas in templo Dei instituisse, qui mane & vespere sacrificium Deo offerrent. Et ex eo itaque concludunt, decorum esse & honestum, ut etiam in noua lege plures ordinetur sacerdotes, qui matutinas & vesperas cantent in templis, & Missas celebrent pro viuis & defunctis.

## THEODIDACT.

In veteri lege plures quidem facti sunt sacerdotes, ne morte eorum desereretur ministerium. Christus autem eo quod maneat in ēternū, perpetuum habet sacerdotium, quod ad alium trāsferre non potest. unde & saluos omnino potest eos facere, qui per ipsum accedunt ad Deum.

D. iii.

*Si Christus perpetuum habet sacerdotium, quod ad alium transferri non potest & solus apud Patrem intercedere possit: cur Deus diuersos statuit ministros in Ecclesia: primum quidem apostolos, deinde Prophetas, tertio doctores, & alios Ecclesiae ministros.*

## THEODIDACT.

*'Paulus in epistola ad Ephes. cap. 4. ostendit cum Deus diuersos in Ecclesia ordinaret ministros. Cum ascenderet Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, & idem dedit quosdam quidem apostolos, alios vero prophetas, alios autem Evangelistas, alios pastores & doctores ad instauracionem sanctorum, ad complendum numerum electorum, in opus administrationis, ad dispensandum Dei verbum, ad edificationem corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei. In hoc ergo constituuntur ministri Ecclesiae, non ut sacrificia propitiatoria offerant, sed ut pro sacrificio viuo propitiatorio, qui est Christus semel pro nobis in cruce oblatus, sine intermissione gratias agant Deo & Patri. unde Paulus Epist. i. cap. 3. Corinth. dicit quod ipse & Apollo tantum ministri sunt per quos crediderunt*

diderunt: ipse plantauerit, alter rigauerit, Deus autem solus incrementum dederit, adeo ut neque qui plantat sit aliquid, neque qui rigat, sed unus qui incrementum dat Deus.

## PHILOTH.

Si Christus nullos elegit sacerdotes, qui corpus & sanguinem suum Deo Patri offerrent in remissionem peccatorum. unde nobis quæso, tot rasi sacrificuli, qui nihil aliud norunt præter quam Missare suum, & præterea Requiem, De profundis, quibus Plutoni manes commendant, dum aqua, quam benedictam vocant, se pulchra aspergunt.

## THEODIDACT.

Cum Jeroboam qui obtinuerat Regnum in decem tribus Israe lis, rationibus humanis natus Regnum seruare posse diffideret, si populus Deum verum coleret, & iuxta præceptum Domini ter in anno in Ierusalē adoraturus ascenderet (dixit in corde suo, nisi bene consuluerem rebus meis, Regnum istud ad Iuda transibit: si populus iste ascenderit sacrificatum in Ierusalem occidet me) Erexit duobus vitulis, uno in Bethel, altero in Dan, populo persuasit non opus esse amplius proficiisci in Ierusalem: sed dixit, Ecce dij tui Israel, qui te

D: iii.

eripuerūt de terra Aegypti: quæ res tantam dedidit occasionem idololatriæ, ut cùm duo essent vituli in duobus terminis terræ positi, populis potius accederet ad remotionem, quam ad propinquorem, siquidem qui in Dan habitabāt, ibant in Bethel, & qui in Bethel, currebant adoraturi vitulum qui erat in Dan. Quemadmodum adhuc nunc sūt in Papismo, ubi Sancti proximiores & vicini nihil reputantur: qui verò in remotionibus locis coluntur, magno in precio habentur. Hic igitur vides impium Regem ad stabiliendū suum regnum, apertam instituisse idololatriam. Cùm autē Leuitæ cultū illiusmodi idolis negassent, illis expulsis regno, fecit sacerdotes ex face populi, qui non erat de tribu Leui, ob quod delictū domus Ieroboā euersa est ac funditus deleta. Hūc imitatus est antichristus Romanus, cùm videret se non posse tueri suum in belluas imperiū, si verus Dei cultus in Ecclesia maneret, & coena dominica ad perpetuā memoriam mortis Christi, & redēptionis nobis per eundē partē diutius inter Christianos celebraretur. Decreuit illam cœnā dominicā prophanare, & de medio Ecclesia tollere: illiusque loco deū suū Maozin, nō in duobus tantum terminis terræ, sicut fecerat Ieroboā: sed per

per uniuersum orbē, in execribili Missā adorandum cunctis mortalibus præbere, & abominationē desolationis, de qua est apud Danielē, in loco sancto statuere. Cum autē pī Ecclesiæ ministri & sancti Dei confessores nollēt huic idolo inseruire, alius occisis, alius patria eiectis, cœpit etiā nouos ex plebis sorde fōrdidissimos sacrificulos creare, quos vnxit more Aaronico, ut inseruirēt Maozin Missatīco deo: quibus præcepit coronam in capite fieri, & barbam radi, ut hoc modo differeret à sacerdotibus veteris Testamēti, quibus præceptū est Leuit. 19. ne tale quid faciant: atque has voluit ipsis esse notas impressas, ut soli mysteria dei noui curarent. & ceteros arcent, ne, ut ipsi dicunt, sanctum detur canibus, aut margaritæ proiiciantur porcis.

## PHILOTH.

O perditissimi nebulones! vocat eos quos Christus proprio sanguine lauit & fecit reges & sacerdotes Deo & Patri, canes & porcos? quæ enim comparatio sancti hominis ad canem.

## THEODIDACT.

Sic sane vocant eos, cum ipsi sint canes impudentissimi, nescientes saturitatē, sicut testatur Esaías 16. speculatorēs, inquit, & cœci sunt omnes, canes

muti latrare non valentes: torpent, iacent, somno  
indulgent.

## PHILOTH.

Decebat mendaces esse memores. Numquid quidam eorum affirmant, pastores ouium his verbis super panem prolati, corpus Christi consecratis? tamen tales non erant uncti, nec ab aliquo supraganeone consecrati aut rasi.

## THEODIDACTVS.

Hoc affirmat Durādus ille, rubrica de secreta & canone Missæ. & post eū Gabriel ille Biel; lect. 15 super codē canone Missæ, ubi adducit rationē quare hæc verba, *Hoc est corpus meū*, quod pro vobis tradetur in remissione peccatorū, debeat proferri secretè. Fertur, inquit, quod cūm antiquitus publicè & alta voce Canon iste recitatur: omnes penè per usum illū sciebāt & in vicis & plateis eum decatabāt. unde cūm quidā pastores illū canonē in agro cantarent, & panē super lapidem posuissent ad verborū horum prolationem panis conuersus est in carnē: ipsi verò diuinio igne calitus missō percussi sunt: propter quod sancti patres statuerunt verba ista summissa debere murmurari, inhibētes sub poena anathematis ne clare proferātur, nisi à secordotibus super altare

altare & in Missa, cū vestibus sacris. Hæc Durādus, quæ Gabriel agt. Σεοχω magistrū appellat.

## PHILOTH.

Si hæc verba tætæ sint efficacie, ut per ea isti ingeniosi alcumistæ possint substantiam panis in corpus Christi conuertere, imò nouum quendam Christum effingere, qui inter manus eorū incar- netur, sicut semel carnem sumpsit in utero Virginis: lubet̄ peterem ab eis an virtute verborum eorum quibus Deus oves & boues, cæterasque creaturas fecit, possint simili ratione oves & bo- ues & cætera animalia producere.

## THEODACT.

Quid narras? etiam si omnes suas vires appli- cent quoquot sunt in mundo sacrifici, ne pulicem quidem ē purgatorio suis carminibus euocarent.

## PHILOTH.

Mirum est eos posse Deum & hominē exte- pore creare, nec tamē posse tam paruum animalcu- lum excitare: præsertim cū verba quibus Deus ani- malia produxit, tætæ sint efficacie, ut potuerint terrā in homines & aquā in pisces conuertere. Di- xit enim & facta sunt, mādauit & creata sunt.

## THEODIDACT.

Ad hoc magistraliter respōdent, negantes con- sequentia & dant instantiā à simili. Magi Pha- raonis, inquit ille summus Magister lect. 45. potue-

runt ranas & serpentes producere, non tamen  
cyniphes: sic ad propositum dicunt sacerdotes posse  
Deum & hominem confidere: non autem pisces  
aut alia animalia.

PHILOTH.

*Qui autem fiat, ut utrumque non efficiant, nihil afferunt?*

THEODIDACT.

*Imo speciosissimam adducuntrationem: Deum scilicet pactum fecisse cum Ecclesia, ut quotiescumque protulerint haec verba, Hoc est corpus meum, cum debita intentione, decenti loco, & cum habitu honesto: toties etiam corpus Christi, atque ipsum Christum Deum & hominem in existentia & substantia, qua natus est de Virgine, conficiant: vel alium, si opus sit, fabricent. Ceterum de aliis creaturis fingendis nullam esse inter Deum & ipsos conuentionem.*

PHITOTH.

*Quae, obsecro, conuentio Christo & belial, quae  
societas luci & tenebris? legimus quidem in Scriptura, Deum fecisse pactum cum hominibus sed  
pijs: ut Noe, Abraham, & cum toto Israele suo:  
de pacto autem inito cum Papistis ad transub-  
stantiandum panem in corpus Christi, nihil ha-  
bemus*

bemus in sacris literis: sed faciliter crediderim eos  
pepigisse fœdus cum morte & inferno, quemad-  
modum de ijs, & eorum similibus scripsit Isaías  
xxvij. capite.

## D I A L O G I T E R T I I

### *Summa.*

Tertius dialogus continet quæstionem illam  
nuper inuentam de transubstantiatione &  
potestate conuertendi panem & vinum in cor-  
pus & sanguinem Christi: an scilicet Ecclesia  
potuerit hunc nouum articulum cōdere absque  
verbo Dei, & statuere ut qui huic articulo non  
crediderint sint ab Ecclesia reiiciendi & hæreti-  
ci iudicandi. Præterea, an corpus Christi sit in  
Missa Papistica adorandum, & quale sit, &  
quām abominandum coram Deo sit illud papi-  
sticum Missæ sacrificium; qualis & quanta sit  
differentia inter fidem Christianam quæ pac-  
tam & certam de æterna salute reddit hominum  
conscientiam: & fidem Papisticam, quam Mao-  
zinistæ dicunt ad cultum noui dei & ad intelli-  
gentiam mysteriorum eius esse omnino neces-  
tariam.



*V D I R E M* nunc quidē perlibenter ab istis transubstatiatoribus unde probent ad prolationē horum verborum, *Hoc est corpus meū, Hic calix meus,* &c. substātiām panis, & vini in corpus & sanguinē Christi realiter & verè cōuerii, atque ut ipsi loquuntur trāsubstātiari: hoc enim probare non possunt ex illo pacto diuino quod somniāt se iniis se cū Deo, dēreali Christi in Missa p̄sentiā: neque etiā in foedere illo, de quo diximus superius, vlla sit mētio de panis aut vini immutatione aut transubstātiatione, quæ illis potissimum probanda erāt, si homines ad credendū huic nouo cōmento astringere voluissent, quod ex diametro pugnat cū verbo Domini, ratione, sensuque cōmuni, ac determinationib⁹ sanctorū patrū veteris Ecclesie. Quemadmodū satis ostendit archiepiscopus ille Cātuariensis, in suo de istiusmodi monstris scripto.

## THEODIDACT.

*Audi probationē quæ est apud Gabrielem nostrū lect. 46. Nihil, inquit, debet Christianus negare posse fieri diuina virtute & potentia, nisi quod per rationem deductā ex per se notis, possit*

## T E R T I V S.

47

quidēter probari includere cōtradictionē. Sed panem & vinū & quantū ad materiā & quātum ad formā in veram substantiam corporis & sanguinis Christi cōuerti, cōmutari, & transubstantiari, non includit contradictionem. Ergo diuina potentia, panis & vini substantia potest in substantiam corporis & sanguinis Christi conuerti, mutari & transubstantiari.

## P H I L O T H.

Omnia sunt possibilia credēti, modò illa fides nō hominū somnijs, sed solius Dei verbo nitatur. Præterea à posse ad esse nō valet cōsequētia. posset enim Dominus facile Regē aliquē excitare, qui Maoz initas mox vniuersos trucidaret, arafib corū subuerteret, similem Iehu filio Iosaphat, qui cultores Baal cunctos uno die interfecit, ipsoque Baal combusto ex æde eius fecit latrinas. Posset etiā unico Angelo misso, ut tempore Sēnacherib factū est, horū blasphemias cōpescere: verū Deus, ut est mitis, neminē vult perire, & quanquā iuslē posset omnes qui resistūt veritati perdere: tamen eos māsuetudine sua ad resipiscētiā iūitat: nō valet igitur cōsequētia, Deus potest: ergo Deus vult.

## T H E O D I D A C T.

Destituti ratione humana & diuina, devolāt ad autoritatem Romanæ Ecclesiæ, quā dicūt non posse ullo modo in fide aut moribus errare,

Mirum est hanc ecclesiā Romanā non posse errare in fide aut moribus: cùm ecclesia illa, que per Mosen ex præceptis Domini regebat, pecare potuerit, ut testatur Scriptura Leuit. 4.

## THEODIDACT.

Atqui nulli magis errat, quām qui errare sibi non videntur. Nam ut testatur Sapiens, erant omnes qui operantur malum. Aule verò cardinalium & papisticorum episcoporum nihil aliud sunt, quām sentinæ malorum. denique in palaatio magni illius antistitis Romani omnium scelerum licentia patet. Errat sanè maxime qui illum pontificem cum suis adulatoribus & duis cardinalibus, volebā dicere cardinalibus, episcopis & abbatibus non posse errare in fide mentiuntur. nisi quis forte ideo ipsos errare in fide & moribus posse neget, quia fictam aut nullam fidem habent, ac perditissimis sint moribus. Conscientur quidem nosse Deum: cæterū factis negant, atque ea fide nihilo præstant Turcis, siue ipsis dialectis.

Quales quales sint, rogo ut eos audiamus, est enim Spiritus sanctus aliquando per malos & reprobos

reprobos opportuna verba loquuntus. Pessimus erat Balaam & idololatra, tamen verè de Christo prophetauit. Philistinis autem diuini ipsorum quāvis improbi, recte cōsuluerunt. Caiphas etiam iniquissimus pōtīfex vera de filio Dei vaticinatus est. Quis scit, an isti Romani pontifices & eorum consiliarij aliqui d'apportent bonū?

## THEODIDACT.

Multum potius mali: siquidem corda gerunt repleta veneno: ex cuius abundantia os loquitur. Attamen postquam liber audire sententiam Romanæ ecclesiæ de ista transubstantiatione: reseram hic nobis decretum summi concilij Lateranensis, in quo præsidebat Papa Innocētius tertius, quo nihil tamen erat nocētius, qui hanc sententiam sine ullo testimonio Scripturæ (sicut solet Antichristus omnia pro sua libidine facere) promulgit. Una est, inquit, fidelium uniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur, in qua idem ipse Christus Iesus facerdos est, & sacrificiū, cuius corpus & sanguis in sacramēto altaris sub speciebus panis & vini verè continetur, transubstantiatis, pane in corpus Christi, & vino in sanguinem diuina potestate. En tibi determinationem Romanæ Ecclesiæ, cuius authoritas

tantū antecellit autoritatē sacrae scripturæ, quā-  
tū authoritas summi pōtificis autoritatē cōciliij ge-  
neralis. Imò, vt inquit Gabriel, si nulla esset au-  
thoritas sacrae scripturæ, tāta est Romanæ Eccle-  
siæ authoritas & cōsuetudinis eius hactenus obser-  
uatæ, vt nemo illā sequēs possit errare. Quare de  
hoc articulo trāsubst̄iationis nulli christiano li-  
cet dubitare, cūm cōstet ipsum per unigenitū Dei  
filium fuisse Apostolis reuelatum, & à principio  
expressè traditum, ex quo eucharistiæ sacramen-  
tū fuit à Domino nostro Iesu Christo institutum.

## PHILOTH.

Vehementer admiror Ecclesiā illā Romanā tā  
scurriliter cōfidentē fuisse: vt articulū illū qui ver-  
bo Dei, humanæ rationi & experiētiæ repugnat,  
sine authoritate sacrae scripturæ stabilire ausa fue-  
rit, cūclosque mortales ad assentiendum & cre-  
dendum huic articulo, sub poena peccati mortalis,  
hæresis aut cītumacia, cogere. Poteratne veritas  
sacramenti eucharistiæ, & maiestas verbi Dei,  
integra inuiolatāq; seruari absq; trāsubst̄atione  
panis & vini?

THEODIDACT.

Potuit sanè. Nam ad veritatē sacramenti nihil  
aliud requiritur, quā veritas signi & signati:pa-  
nis autē subst̄atia & vini cū suis accidētibus, & q;  
possunt & magis esse signū, quām sola accidētia

quādoquidē substantia panis & vini cū suis spe-  
ciebus nutrimentum est cōueniens humanæ natu-  
ræ, & non sola species: neq; enim panis aut vini  
species cōfirmant aut reficiunt hominē. Sed ut si  
panis materialis & substancialis, & naturale vi-  
nū, capiantur ab homine sano, nutrit & recreat  
corpus: Sic sacramentū corporis & sanguinis Do-  
mini, si à fidelibus & fide integris recipiatur, alit  
animam ad spem vitæ cælestis. Præterea panis  
vñus qui ex multis granis cōficitur, & vinum ex  
multis vñis, magis declarant eam vnitatē, qua in  
corpus Christi omnes inserimur, quam solæ panis  
& vini qualitates. PHILOTH.

Spiritu profecto vertiginis ducuntur isti ini-  
quissimæ mentis aselli: nec enim quis per spiritu  
Dei loquës maledicit aut execratur, vt anathe-  
ma, Iesum. Quemadmodum fecerunt ipsi in suo  
cōcilio Lateranensi, cùm cum falsitatis & mēdacijs  
arguerūt & dñnarūt. Christus enim dixit, Ex-  
iui à Patre & veni in mundū: iterū, relinquo mū-  
dū & rado ad Patrē. Pauperes semper habebi-  
tis vobiscū, me autē nō semper. In quibus locis lo-  
quebatur de præsentia sua naturali, reali, & cor-  
porali, & substanciali. Sic interpretatur Au-  
gustinus tract. 50. in Ioann. Isti autem sancti

patres ibidem affirmarunt, ipsum Christum Deum & hominem, illum eundem qui natus est de Virgine, & qui suspensus est in cruce, verè & realiter, naturaliter & substancialiter manere in hoc seculo, & quotidie in Missa papistica se visibilem cunctis volentibus ostendere: & perpetuò in Ecclesia suspensum, aut in angulo aliquo inclusum manere. Ergo oportet alterum eorum esse mentitum, nempe generale concilium aut Christum, sed si concilium Romanum à spiritu sponsi sui decretum (ut isti dicunt) non potest errare, oportet igitur Christum errasse, & esse mētitum, qui in locis supra citatis plane significavit se, quo ad corpus, à mundo abfuturum.

## THEODIDACT.

Christus autem ascensurus ad Patrem dixit discipulis suis, Expedite vobis ut ego vadam, si enim non abiero, consolator ille non veniet ad vos. Si autem abiero mittam eum ad vos. Quapropter cum papistæ & Maozinitæ non credunt Christum, presentiam suam corporalem & naturalem ab hoc mundo substraxisse, non potuerunt spiritum sanctum recipere, quo priuati, quid mirum si adhuc in tenebris versantur, cum ipsis mentes suo splendore illustret.

Philot.

Sed ad solenne illud concilium Lateranense  
reuertamur. Quod si iste articulus de transub-  
stantiatione tum primò fuerit receptus in sym-  
bolum cornutorum. Igitur ante illud concilium  
sicluit contrà credere, affirmare & docere, &  
sententia tunc conclusæ contradicere.

## THEODIDACT.

Hoc fatentur omnes Maoz initæ, probantque  
hac similitudine. Quemadmodū, inquit, in cō-  
cilio Niceno determinati est spiritu sanctum à  
Patre & Filio procedere, cuius contrarium do-  
cebant Græci, nec tamen propter hoc reputaban-  
tur hæretici: quia antè non fuerat omnibus cer-  
tum hoc esse verum. Sic etiam nouissimè in con-  
cilio Basiliensi sessione 36. anno Domini. 1439:  
determinata fuit hac veritas, quod beata & glo-  
riosa virgo Maria peccato originali nūquam ob-  
noxia fuerit: hoc tamē tunc non est factū verum  
per Ecclesiae determinationem, sed declaratum  
est esse verum, quod prius (ut inquiunt) erat ve-  
rum: sed id fuisse verum ex sufficienti authori-  
tate nesciebat, ideo antea oppositum sine culpa  
& temeritate teneri & defendi potuit.

Hic rursus error est peior priore: nonne sufficiebat illis Romanae Ecclesiae procis, nouum Deum creasse, & ex substantia panis arte alchemistica conflare: nisi etiam crearent nouam deam, quam titulo sanctitatis proponerent toti mundo adorandam, & tanquam reginam celi & terre, & hominum aduocatam inuocandam? Sunt ne isti fructus conciliorum generalium. Si tales sint fructus non miror equidem virum illum sanctum Gregorium Nanxianzenum dixisse, horum conciliorum nunquam se vidisse bonum exitum. Sed libenter peterem ab ipsis peritis consultoribus & ingeniosis artificibus nouorum deorum & deorum: An ipsi familiariores fuerunt spiritui sancto, qui illis ista reuelauit noua fidei mysteria, à seculis in Deo abscondita: quam fuerunt illi sancti patres, episcopi & martyres qui ante eos Ecclesiam Romanam plusquam sexcentis annis pientissime rexerunt, nec studio, nec reuelatione ad cognitionem harum veritatum, quae in concilio Lateranensi & Basiliensi determinata sunt, pertingere potuerunt.

Theodi-

Hoc non veretur affirmare, & scripsit mandare. In his est quidam Pighius impudentissimus canis quem, in quodam libro quem edidit pro defensione iurisdictionis & libertatis Romanæ ecclesiæ, non pudet eructare, veterem Ecclesiam fuisse inculcam, & rudem, multaque ignorasse, quæ postea fuerunt per Spiritum sanctum successoribus Romanis pontificibus reuelata. Itaque per incrementa temporum dicit creuisse scientiam patrum: quandoquidem veritates catholicæ, ut inquit, de die in diem magis & magis explicatur. Sicut ait David super senes intellexi: & eodem loco, Super omnes docentes me intellexi. Et Dominus Apostolis ait, Multa habeo vobis dicere quæ non potestis portare modò. Cum autem venerit spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ita quoque, inquit, Ecclesia Romana à spiritu sponsi sui bene & diligenter edocita & informata, declarauit substantiam panis & vini transubstantiari in corpus & sanguinem Christi: nec hoc fecit sua voluntate, aut suo beneplacito aut sapientia, alioqui fides esset in sapientia hominum quæ stultitia est apud Deum.

E. iii.

DIALOGVS  
PHILOTH.

- *Iustis igitur de causis ridentur eorum constitutiones, quæ nullo sacrae Scripturæ testimonio nituntur. Cæterum ad alia pergamus. Quid obga- niunt sententiae eorum, qui cum vera panis & vini substantia verum sacramentum confistere: eamque veram institutionem Christi, sine ullo nouo fidei articulo de transubstantiatione, esse censent?*

## THEODIDACT.

- *Hanc opinionem damnat Thomas Aquinas, doctor ille sanctus, communique consensu Romani pontificis & cardinalium, in catalogum sancto-rum relatus, cuius doctrina revelatione diuinitus facta ab ipso Christo personaliter cum eo loquen- te creditur approbata.*

## PHILOTH.

- *Fuitne Thomas Aquinastā familiaris Chri-  
sto, ut cum illo confabularetur.*

## THEODIDACT.

*Quidni? Sicut enim Deus perfamiliari-  
ter loquebatur cum Moze facie ad faciem: Sic  
Christus (ut dicunt papistæ) confabulabatur cum  
Thoma Aquinate. Nam cum scripsisset enco-  
mium noui & recentis Dei Maozim, & laudes  
que*

¶ & solent in honorem eius decantari in Ecclesias papisticis, ipsa die (quam vocant) Sacramenti: ipse Dominus noster Iesus Christus fertur personaliter illi apparuisse, atque ei dixisse, Bene scripsisti de me Thoma.

## P H I L O T H.

*Has nugas qui populo persuadere conantur levissimi sunt homines, nec minus stolidi qui ipsis fidem adhibent. Sed quam habet causam Thomas qua ille damnat opinionem eorum, qui transubstantiationem non admittunt?*

## T H E O D I D A C T.

Damnat, quia putat eam scandalosam, inconvenientem, & hereticam. primò dicit eam scandalosam, quia tollit deo Maozim reverentiam debitam. deo Maozim inquit, contento in Missa & sacrificio debetur adoratio, & cultus latræ. Sed si remaneret substantia panis non deberet talis cultus illi exhiberi, esset enim occasio idololatriæ, pane illic remanente: ob hanc causam cōcludit substantiam panis non debere remanere. Secundo dicit esse inconvenientem, quia ex illa sequuntur multa inconvenientia. nam si remaneret substantia panis, sacerdos sumens eucharistiam non posset bis in die celebrare, & per consequens Ec-

clesia militans & dormiens (quo animas sui purgatorij intelligunt) priuaretur magna utilitate, quam consequitur ex frequenti Missarum celebratione. Tertio, dicit illam opinionem esse haereticam, quia est contra veritatem Scripturæ: nempe contra verbum Christi sacramentum instituentis, & dicentis, *Hoc est enim corpus meum.* si enim substantia panis maneret, verius diceretur, *Hic est corpus meum, quam hoc est corpus meum:* vel ut quidā ex doctioribus inter eos locuti sunt, *Hic est corpus meus.* Habet diui Aquinatis rationes, quibus improbat opinionē eorum, qui transubstantiari in sacramento, nec panem nec aquam docent.

## PHILOTH.

O fortunatum doctorem talibus discipulis! Instituitne Christus hoc sacramentum eucharistiæ: ut in Missa corpus suum Deo offerretur, & à stultis & cæcis hominibus adoraretur?

## THEODIDACT.

Minime gentium: Sed hoc sacramentum corporis & sanguinis sui in ultima cœna, in qua tradiebatur immolandus pro redemptione generis humani, instituit, ut tanti munera & charitatis sempiterna in nobis maneret memoria, &

in sancta communione Ecclesiae, sub symbolis panis  
& vini, memoria passionis & mortis eius reconser-  
ueretur, ac corpus & sanguis eius a fidelibus spi-  
ritualiter & per fidem vere ederetur & biberetur.  
Propterea accipiens panem postquam gratias egisset,  
fregit & dixit, Accipite & manducate. Non in-  
quit, Offerte & adorate. unde August. lib. 4. de  
Trinit. inquit, Quia Domini morte liberati sumus, in edendo & bibendo panem & vini carnem  
& sanguinem, quae pro nobis oblata sunt represe-  
namus. Ide confirmat etiam Pascasius exponens illud  
Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguineum. Cum, inquit, manducatio & porio huius sacra-  
menti est usus: hinc Christus volens discipulos  
suos fructus huius sacramenti fieri participes, post-  
quam corpus suum consecravit, non sistebat in con-  
secratione, nec dedit discipulis suis ut ipsum ho-  
norifice conservarent: sed dedit ut in usum suum  
sumerent, dicens, Accipite & manducate. Hac  
Pascasius: ex quibus verbis patet sacramentum in  
hoc a Christo fuisse institutum, ut manducaretur non  
adoraretur. Præterea quod clamat sacrificuli Ec-  
clesiam priuatam iri magna virilitate, quam conse-  
quitur ex frequenti Missatione. Reclamè quidem fa-  
citur, quod ipsi Gnatonicis, quorū animus semper

*est in patinis, tam strenue pro aris & focis pugnent.*

PHILOTH.

*Profecto illud Missæ sacrificium mibi videtur mendax, vanum & frustraneum & nullius utilitatis.*

THEODIDACTVS.

*Nullius plane: nisi quod ventres pigros & porcos saginet: sed accedit ad hæc summa idolatria & abominatio crudelis illius sacrificij, quod hominum commentis stabilitum, nec ullus testimonii Scripturæ probatum, Christi institutionem omnino peruertit: & Cœnam domini-cā prophanat, eiusque memoriam extinguit, quod facile mihi foret probare & ratione & autoritate: nisi hæc omnibus satis nota essent.*

PHILOTH.

*Verè igitur ad hoc Missæ sacrificium & ceteras cæremonias friuolas: utpote aquam, quā vocant benedictam & mille alias præstigias, referri possit, quod Isaiæ primo & Ieremiæ septimo capite, dicitur de sacrificiis Iudeorum quæ ex fide non fiebāt, ac proinde ingrata erant & odio-sa Domino.*

Theodi-

## THEODIDACT.

Nihil verius: adde quod ista nūgæ papisticæ  
quibus in suis templis utuntur, non solum suo fru-  
ctu carent, sed cum magno animarū, quod miser  
imum est, dissipatio fuit. nam cum plerique ea  
lingua utantur, ut nec ipsi se met, nec ipsos po-  
pulus intelligat: quæ ibi potest esse mutua fidei  
edificatio? quæ tamē ut 1. Cor. 14. docet Paulus  
in omni piorum conuentu spectanda est. Cæte-  
rū vix me contineo à risu cùm mente comple-  
ctor ipsorum histrionicas gesticulationes, quibus  
miserum populum decipiunt. Nam cùm soli sa-  
tisficiuli & crustulum sacrum & agnum deuo-  
tarint, & poculum funditus exhauserint, lingen-  
tes digitos suos, accedunt cornu altaris, pecuniām-  
que à populo, qui nec panem nec carnem nec vi-  
uum degustauit, exigunt. Quis non contunderet  
stibus hospitem publicū, qui cuiquam sumptus,  
nos non fecisset, persoluere tamen iuberet?

## PHILOTH.

Graphicè hos Missatores & ministros noui  
llius Dei Maozim descripsisti, & eos aptis colo-  
bus depinxisti, ne Apelles quidem, credo, ipse  
nos melius ad viuum depinxisset,

## DIALOGVS

## THEODIDACTVS.

Non solum sunt iis viciis obnoxij, sed pluries à  
Deo sunt in sacris scripturis maledicti. Nā scri-  
ptum est Deut. 27. Maledictus qui facit errare  
cæcū in itinere, & dicet omnis populus, Amen.  
Isti autē cū cæcisint & duces cæcorū, non solum  
errant, sed alios in errorem adducunt, & ita fit,  
ut cùm cæcus cæco dux est, ambo in foueam ca-  
dant: his etiam minatur Isaias? Væ qui dicitis lu-  
malum bonum, & bonum malum: ponentes lu-  
cem tenebras, & tenebras lucem, amarum dulce,  
& dulce amarum. Nam in tantam rabiem &  
amentiam delapsi sunt, ut nullum Deum curent  
præter deum Maozim, deum, inquit Missarum,  
quem Antichristus contempto vero Deo, apud  
suos auro, argento, & rebus preciosis coli vult, ut  
omittat blasphemias Bielis nostri, qui effrenata  
audacia Cœnā Domini præ Missa cōtemnit, quā  
supra omnia quæ diuina sunt extollit nebula. At  
disne quām verè de istis suprà locutus sit Isaias,  
qui Missam qua nulla maiore est abominatio, tan-  
ti faciunt: in qua planè meritum Christi, sanguis  
noui testamenti polluitur, Christus denudò cruci-  
figitur, & spiritus gratiæ contumelia afficitur?

philoth.

Cōstat satis, istos maledictos homines, qui tam prophana de Deo, ipsiusque Euangelio eructant ac euomunt, poculo aureo meretricis Babylonicae pleno abominationibus & immunditia libidinis sue, planè esse ebrios.

## THEODIDACT.

Recte iudicasti, adeò ut nec mens nec pedes sorū suum officium faciant. nam cùm viam perditionis ingrediantur, nec possunt, nec volunt ad rectā viam redire. PHILOTH.

Si paulisper edormiuissent crapulam, rogarem us, quid respōdeant ad absurdā, quæ sequitur ex uno nono articulo de transubstantiatione.

## THEODIDACT.

Respōdēnt unica & breui solutione, dicētes intellectum cuiuslibet articuli fidei in vniuersali traditū, ad illū sensum specialiter esse limitādum si verus est: non curandū, an sequātur plura inveniētia, necne. Cūm autē huius propositionis, hoc est corpus meū, intellectus sit verus, dicēdo nōd panis conuertitur in corpus Christi, & non taneat cum corpore Christi, remanentibus solis species: quisque suum intellectum (inquit) optimum offerre debet in obsequium fidei huius tienli, & faceri Deum posse plura facere qui simus intelligere.

*Quid audio? haec tenus iudicarunt eos hereticos, qui dicere solam fidem ad iustificationem hominis sufficere, & nunc videntur velle canere palinodiam.*

THEODIDACT.

*Nequaquam. cum enim fidem nominat non loquuntur de ea fide, quam Paulus plurimis locis celebrat, per quam iustificamur absque operibus, & iustificati pacem habemus ad Deum per Iesum Christum.*

PHILOTH.

*Non arbitror tamen aliam esse fidem, quæ hominem interius planè confirmet, & certum de salute sua reddat.*

THEODIDACT.

*Verum quidem est, sed negant hominem debere esse certum de sua salute: imò dicunt presumptuosum esse credere certò, se esse in gratia, aut de numero electorum, aut saluandorum. clamitatque Gabriel lect. 8. sufficere certitudinem moralem quæ excludit scientiam & firmam fidem de inexistenti peccato, & vacillationem & dubitationem compatitur secum: humilitatis argumentum esse putant, hominem de sua salute semper*

semper dubitare. Nā beatus homo qui semper est  
pauidus: & Ecclesiast. 5. de propitiatio peccato  
noli esse sine metu. & alio loco, Nescit homo an  
amore aut odio dignus sit, multosque alios scriptu  
& locos allegat, ut ostendat hominem semper de  
bere de sua salute dubitare. Quod verū est, si ho  
mo seipsum in seipso tātū cōsideret. Tunc enim  
non solum debet de sua salute dubitare, sed debet  
esse certus de sua damnatione: quia in se nihil  
aliud reperit nisi peccatum, iram Dei, & eternam  
maledictionē. Si verò seipsum cōsideret in Chri  
sto quem in baptisme induit, cui per fidem in  
corporatus est, qui factus est illi à Deo sapientia,  
iustitia, sanctificatio, & redemptio, cuius merita  
facta sunt illi per fidē porpria, tunc non poterit de  
sua salute dubitare. Sed dicet cum Paulo Rom. 8.  
8. Deus pro nobis, quis contra nos: qui proprio fi  
lio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum.  
neque enim quisquam nos diuellet à dilectione  
Dei, qua nos in Christo Iesu diligit, neque mors  
neque vita, neque principatus, neque potesta  
tes, &c. neque vlla etiam creatura. Hec est fi  
dei certitudo quam operatur in nobis Spiritus  
sanctus, testimonium perhibens spiritui nostro,  
quod sumus filii Dei, coheredes Christi. Hec au

te & fides non finit hominem de sua salute incer-  
tum esse: sed ipsa quæ sola ad vitam dicit, ac per  
dilectionem operatur, ut docet idem Gal. 5.  
quam donum Dei esse testatur in sua ad Ephesios Epistola, ne quis, inquit, gloriatur. Proinde  
Papistæ & Maozinitæ, homines glorie auidis-  
simi meritò ab hac excluduntur: digni qui sem-  
per de gratia Dei, quæ peruersæ respūt, & de sa-  
lute sua dubitent: adeo ut desperatione perciti la-  
queo aut aliqua tragica morte hac luce sese pri-  
uent. Atque hi sunt fructus doctrinæ quam aut  
Parisius, aut Louanijs, aut Oxoniæ, aut in Italiæ  
academiis de certitudine salutis & fidei didi-  
cerunt.

## PHILOTH.

Quam igitur fidem somniantilli?

## THEODIDACT.

Fidem inanem, otiosam, fictam, reprobam,  
mortuam, & diabolicam, quæ non ntititur verbo  
Dei, sed auctoritate Romana Ecclesie, & de-  
terminationibus concilij generalis Latronensis,  
habiti sub Innocentio tertio: quem secuti Tho-  
mas Aquinas & alij aduersarij veritatis, dixe-  
runt, ad firmandum cor sincerum eam sufficere. Sic  
enim

enim determinauit Gabriel, le<sup>ct</sup>. 29. in suo canonie Missæ. exponens illud, Et omnium circumstantium, quorum fides cognita est, & nota deuotio. Requiritur, inquit, fides, scilicet ut credatur post consecrationis verba, corpus Christi verum, quod natum est de Virgine, quod passum est in cruce, quod sepultum est in lapide, quod resurrexit tertia die, quod ascendit in cælos, sedetque ad dexteram Patris, unde venturus est iudicare viuos & mortuos, cum capillis, vnguis, & barba, in sua naturali subsistentia, realiter, naturaliter, substantialiter sub speciebus panis & vini contineri. Hæc est fides catholica ecclesie Romane, & generalis concilij Latronensis, quam nisi quisque integrum inuiolatamque seruauerit, nullo iudicio habito flamma aut ferro sine ulla venia interficiendus erit.

<sup>68</sup>  
DIALOGI  
QUARTI

*Summa.*

Q Vartus dialogus continet controversiam il-  
lam quæ est inter papistas quæstionarios de  
quantitate materiæ transubstantiandæ: An sci-  
licet Papisticus sacerdos ferens characterem be-  
stiæ, possit omnē materiā panis vini & præsen-  
tem transubstantiare & in verum corpus & san-  
guinem Christi conuertere: & de absurdis quæ  
sequuntur ex illa opinione: propter quæ magi-  
stratus fidelis, ad quem iure diuino pertinet ve-  
rum Dei cultum promouere, suāmque prouin-  
ciam quam nactus est, à malis hominibus purga-  
re, meritò deberet tales trāsustantiatores & no-  
uorum deorum factores à suis ditionibus expel-  
lere, & suam Spartam à talibus inutilibus terræ  
ponderibus exonerare.

PHILOTHEVS.

## X HESTERNO

nostro colloquio satis intellecti quanta sit inter fidem Papisticam & Euangelicam dissimilitudo, ac nunc demum scio, quanam desideretur fides ad cultum noui dei Maozim, ad intelligentiam mysteriorum eius: non illa quidem quæ iustificat, sed qua etiam dæmones credunt & contremiscunt, quæ non fundatur in verbo Dei, sed in autoritate generalis concilij Lateranensis. Oritur porro alia difficultas non cōtemnenda, de quantitate materiæ transubstantiandæ. Utrum scilicet sacerdos bene unctionus & ratus, coronam habens in capite, ferensque in fronte aut in manu characterem bestiæ, possit quacunque materiam panis & vini consecrare, & eam in verum corpus Christi & verum sanguinem cōuertere, mutare & transubstantiare.

## THEODIDACT.

In hac questione non bene cōueniunt magistrilli Sorbonici, Louanienses, Oxonienses, primi facelliani Maozim, ac professores spinos & ligiosæ theologiae. Nam qui inter eos sunt vere-

cundiores dicunt sacerdotem non posse consecrare materiam panis & vini nisi in determinata quantitate: in tanta scilicet quanta cedere debet in usum fidelium: cuius rationem assignant ex libris Hugonis de sancto Victore, qui inquit, Sacramentum irritum reputatur si contra intentionem celebretur instituentis: intentio autem instituentis sacramentum, nempe Christi: & propter usum fidelium, ut scilicet utantur ipso ad profectum gratiae & ad consolationem animarum. Igitur si minister intendat consecrare tantum panis, quantum necesse est ad usum fidelium, verum est sacramentum, sed si metas quantitatis transiliat sacerdos, errat à mente instituentis & se ridiculum reddit. Hæc est una opinio magistrorum nostrorum, quæ est aliquo modo tollerabilis si cum altera conferatur, quæ doct̄or Sanctus Thomas affert, reiiciens priorem, quod dignitatem ministrorum noui dei & meretricis Babylonicæ authoritatem non satis extollat. substituit igitur hanc, Quod sacerdos debitè ordinatus potest panem & vinum in tantâ quantitatē consecrare, & in corpus & sanguinem Christi conuertere vel transubstantiare, quantâ potest habere præsentem: cuius ratio est, quia cōcurrētibus omnibus, quæ sunt de necessitate sacramenti, est verū sacramentum:

sed pane non refert quanto, vel quo numero præsente, si ipsū intēdat sacerdos cōsecrare, & profērat verba ad hoc à Christo instituta, iam cōcurrūt omnia quæ pertinent, & quæ absolute requiruntur ad hoc sacramētū. Ergo verè cōficit. Notanter autē dicitur, quāt̄ oīcunque pane præsente: quia panē absentē etiā exiguae quantitatis consecrare nō potest. Hinc sacerdos aut episcopus in Ecclesia non potest consecrare panes existētes in foro. cūm enim formæ verborū cōsecrationis contineant in se pronomē demonstratiuum, ad veritatē requiritur præsentia rei consecrandæ: haē tenus doctor sanctus.

PHILOTH.

O mōstra opinionum. Quod si vera prædicaret doctor sanctus, digni essent sacrificuli qui omnibus ciuitatibus & regionibus eiicerētur, ut benefici. Nā si in potestate cuiuslibet faceretotis esset, quos cūque panes præsentes in corpus Christi cōsecrare, & substātiā panis in substātiā veri & naturalis corporis Christi cōuertere, & ad eundē modū omne vinū: tunc possit perdere & alolere alimētū totius ciuitatis, aut vniuers& alicuius prouinciæ homines, fame & inedia extinguere. Nā nutrīmētū fit per cōversionē substātiæ suscep&. in naturā aliti. Si autem sacerdos protulerit verba (quæ vocat) sacramētalia super vniuerso pane & vino

existentibus in aliqua ciuitate , nulla illic remanebit panis & vini substantia , quia virtute consecrationis ( ut nugantur ) tota panis & vini substantia esset in corpus & sanguinem Christi conuersa & transubstantiata : quæ quidem substantia corporis & sanguinis Christi , non potest conuerti in substantiam naturalis corporis aliti , cum sit cibis spiritualis animæ , non corporalis . Itaque necesse esset omnes illius ciuitatis miserè interire .

## THEODIDACT.

Regum & magistratus officium est e provincia istos nefarios homines exterminare , iudicium & iustitiam facere , omnem idolatriam abolendo , & verum Dei cultum promouendo . Ad quod eos pié exhortatur Regius Propheta David Psalmo secundo , Nunc , inquit , Reges sapite , eruditimi iudices terræ , &c . Aliter seruit rex Deo in quantum rex , & aliter in quantum homo : ut homo , seruit Deo diuinis præceptis obediendo , ut rex , seruit Deo diuinum cultum promouendo : unde subditur à Davide ibidem , Oculamini filium Dei , id est , Osculo manuum testamini vos filium Dei habere pro Rege , amplectimini filium roto mentis affectu & subditi esplode illi , ne irascatur , & pereatis de via iusta , cum breui exarserit furor

ror eius. beati omnes qui sperant in eum: id est,  
qui fidaciam suam collocar in Christum salutem  
ab eo expectantes, quam certò sunt cōsequunturi.  
Videmus etiam quēadmodum regē Iuda Hie-  
remias 22. cap. admoneat sui officii, ei perpetuam  
promittens fœlicitatē, quandiu ius exercebit ut  
debet: viduas, pupillos, aduenas, hospites & pau-  
peres proteger, atque ita fœderis Domini memor  
viuet: quod si oblitus eius contrā faciat, minatur  
summam totius Iudæ & vastitatem, & calamita-  
tem populi inauditam. Vtinam reges, magistra-  
tus, & qui hoc tēpore sunt principes, hæc etiam  
considerarent: expenderentque quid tandem fu-  
turum sit illis, nisi diligenter, & ex animo suo  
fungantur officio. O si dignitatem & maiesta-  
tem sui officij intelligerent, eāmque virtutibus  
& solerti diligentia ornarent! Ipsi sunt dīj: sic  
enim eos plurimis locis nominat Scriptura: vica-  
rij Dei in terris: non autem isti Sodomite Pon-  
tifices. neque est ullus cardinalis aut cornutus  
episcopus, qui sui status diuinum habeat testi-  
monium, aut qui cum minimi non dicam Regis  
sed iudicis dignitate sit comparādus. Nam apud  
Davidem Psal. 81. Iudices □וֹדָה dicuntur, quod  
recte indicando & ius suum cuique tribuendo,

vices Dei suppleant: & ibidem, Dixi dū estis  
& omnes filij excelsi, quasi diceret si fungimi-  
ni vestro munere, ut decet, Dei officium facitis.  
Vnde Iosaphat constituens indices per urbes Iu-  
da, ita eos adhortatus est, Videlte quid agatis, non  
enim hominū, sed Dei iudicium exerceris. Et Pau-  
lus Rom. 13. ostendēs omnem magistratū & su-  
periore potestate à Deo esse, dicit, quod qui magi-  
stratui resistit, cōstitutioni diuinæ resistat. nā Re-  
ges & Principes immediate sunt vicarij, ut ita  
dicā, Christi: non autem Papa, qui tantum Pater  
est patriæ Sodomiticæ. Officiū itaque magistra-  
tuum, regū & principiū est, gloriā solius Dei ex-  
tollere, omnemque idololatriam abuicere, blasphe-  
mias & iniquitates reprimere. Quare & istos  
veneficos, de quibus diximus, qui sua cōtagione  
totas etiam regiones inficiunt, & sacrificos quos  
semper vexat auri sacra famē, abigere in exiliū,  
& ad Cimmerios usque relegare deberent: idque  
exēplo Iosiae, qui extinctā tum verā religionē in  
lucē produxit, dirutis omnibus prophanis delubris  
cum suis idolis. Hūc sibi imitandū proponere de-  
berent nostri reges: & alios, quales fuerunt Iosa-  
phat & Ezechias pīj reges, qui ob verū cultum  
Dei in Iudea restitutū, & abolitā per eos idolo-  
latriā atque bene ex preceptis Domini admini-

Brata rem publica, magna sibi laude & eternū no-  
mē pepererūt, quod satis nobis declarat passim sa-  
cra biblia & maximē 2.lib. Paral. in quibus prae-  
clara ipsorū gesta, & quam grati Deo fuerint a-  
plissime ostenditur. Horum vestigia secutus est  
Hēricus 8. Anglia rex, dum excelsa, lucos, mo-  
nasteria destruxit, ipsaque idola, quorū in istius-  
modi antris maxima est copia, deturbauit, & via  
ad euāgeliū prædicādū parauit. est enim interitus  
vnius, ortus alterius, ex tenebris lux orta est, de-  
vastatio monasteriorū, & monachatus abolitio,  
est veluti cōpendiaria ad restitutionē veræ pietati-  
vis via. neque enim sunt maiores veritati hostes,  
quam superstitiosa illa soboles monachorū ac mo-  
nacharum. Patris verò reliquias persequi cœperat  
præstantior & ingenio & virtute Eduardus 6.  
qui admodum iuuenis idolorū delubra, quæ pater  
integra reliquerat penitus delebat: que in cultu  
Dei imperfecta erat & manca, complebat atque  
integra restituebat, pulsis omnibus trāsubstatiato-  
ribus: sed præmatura morte abreptus: quia ingra-  
tus mundus tanto viro non fuit dignus: ac, quod  
de Iosia etiam in 4.lib. Regum legimus, abstulit  
tū Dominus ne calamitatē & defectionē à fide,  
que mortē eius secuta est videret: atq; in utroque  
vita breuis magnū Dei perspicitur esse beneficium.

Recte dixit sapientissimus ille Solomon beata terra cuius rex nobilis est & sapiens. Nam rex sapiens sedens in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo: principatus vero insulsus perdit populum suum. Precemur ergo Dominum nostrum Iesum Christum regem regum & Dominum dominatum (in cuius manu sunt corda & consilia regum terrae) ut dignetur reges & magistri Christianos spiritu suo regere & gubernare, ne a felici cursu Euangeliū eos deflectere sinatur: sed nomen Dei magis ac magis propagare student, ut hoc modo ignorantes doceantur: alieni adhuc a fide in viam reducantur: conatus reproborum hominum, ac contumacium reprimantur. Soli autem Deo gloria & honos, qui debet, tribuatur.

# DIALOGI QVINTI Summa.

**D**Ialogus quintus continet alteram questio-

mæ sacramentorum aliquid addere aut minuere per rationes quas allegat, ut populo persuadeant libi hoc licere facere, quemadmodum ausi sunt temerariè laicos, quos vocant, vano quodam prætextu à cōmunione vtriusque speciei excludere.

## PHILOTHEVS.

**N**O N possum satis mirari, quod dicat Sophistæ Christum certa verborū prolatione substantiam panis & vini in substantiam proprij corporis & sanguinis sui transsubstatiæ. Nam si hoc verum ipsis videtur, quomodo nefarij nebulones audent formam consecrandi, qua Christus ursus est (ut aiunt) immutare & aliquid de suo ad illā formā addere, & plebeios à cōmunicatione vtriusque speciei prohibere: cùm ipse Dominus tam grauiter cōminatus sit iis, qui aliquid vel addunt vel detrahunt Scripturæ. Nō addetis, inquit, Deut. 12. ad verbum meum quod loquor vobis, neque auferetis ab eo. Itē, Quod præcipio tibi hoc tantum facito, nec addas quicquam nec minuas. Et Solomō in proverbiis dicit sermōnem Dei esse scutum iis qui eo nituntur, nec ad-

iiciendum quicquam sermonibus eius: ne nos redarguat & mendaces inueniamur.

## THEODIDACT.

Dubitant scholastici an Christus cōsecrauerit aliquo sensibili signo, an certorum verborum prolatione, an sola virtute & potestate. Quidam dicunt Christum sola virtute absque verborum prolatione consecrasse. Huic opinioni videtur fauere Innocētius, insignis ille Papa, & quidā Franciscus Maronis franciscanulus. Alij dicūt eum cōsecrasse quadā benedictione secreta, nobis ignota, per quā facta est transubstatiatio. Est & tercia opinio, & illa quidē probabilis: quod Christus cōsecrauerit acceptum panem, postea quam gratias egit & fregit, dicendo, Accipite & mandate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur in remissionē peccatorū, hoc facite in meam cōmemorationem, & similiter accipiens calicem postquam coenauit, hunc cōsecrauit dicendo, Hic est sanguis meus noui testamenti, vel ut ait Lucas, Hic est calix, nouum testamentū in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Si autem his verbis Christus consecrauit: nulli dubium est, quin Maozinitæ per arrogatiā quæ inflati sunt, ad verbum

bū Domini, prout volūt, quiduis adiūxerint &  
abstulerint: proinde ut mēdaces sunt redarguen-  
di, & plagiæ quæ recēsentur in Apocalypsi capi-  
te vltimo puniendi. Primo addiderūt (E N I M)  
ad formam consecrationis pénis, aliaque multa  
quæ Christus addiderat, omiserunt & truncarūt:  
deinde addiderūt ad formam consecrationis vi-  
ni. non enim vtuntur forma præscripta nobis in  
Euangelio. Imò dubitant an sacerdos vtens illa  
forma ab Euangelistis tradita verè consecraret:  
magis videtur, inquiunt, quod forma verborum  
quā obseruat Ecclesia, quæ tamen in nullo Euan-  
gelistarū reperitur: scilicet, *Hic est enim calix*  
*noui & eterni testamenti, mysteriū fidei, qui pro*  
*vobis & pro multis effundetur in remissione pec-*  
*catorum: fuerit tradita à Domino: quam illa quæ*  
*posita est in Euangelio, quæ postea scripta est, &*  
*variata secundum translationum diuersitatem,*  
*neque ipsi Euangelistæ (inquiunt) in forma ver-*  
*borum conueniunt: vñsus autem & ritus Roma-*  
*ne Ecclesiæ formam in canone positam certissi-*  
*mam facit, etiam si in Scriptura non inueniatur,*  
*propter magnam autoritatē consuetudinis ipsius*  
*Ecclesiæ: hæc Gabriel.*

## DIALOGVS

80

PHILOTH.

Dicunt additionem illam & diminutionem factā ad formam consecrationis panis, non carere mysterio, neque ibi quicquā factum sine magnis causis.

THEODIADCT.

*Si quas tamen usquam audisti recitari rationes, enarrabo secro.*

PHILOTH.

Audiui his diebus Londini ad crucem sancti Pauli, quendam concionatorem, insignem papistam & pertinacem Maozinitā, qui in sua con cione de dignitate sacerdotū agebat, quos dignitatem & sanctitatem virginī Mariæ aquales fecerat: ac mysterium huius additionis & diminutionis tractabat. primā autem hanc rationem adducebat, quod quemadmodum verum corpus Christi quinque verbis concipiebatur & formabatur in utero virginis Mariæ: his nēpe, FIAT MI HI SECUNDVM VERBVM T V V M, totidem etiam verbis corpus Christi deberet in sacramento formari. Nam Sacerdote recitante hæc verba, Hoc est enim corpus meum: substantia panis (ariebat) in verum corpus Christi transubstantiatur, & verum cor-

pus Christi inter manus Sacerdotis formatur,  
 creatur, conficitur & incarnatur, sicut ad quinque verba Virginis, aeternum Dei Verbum fuit incarnatum. Addebat secundam comparationem, Sicut beata Virgo sanctificata fuit antequam Christus in utero eius conciperetur, sic oportet sacerdotes consecrari, vngi & sanctificari, antequam corpus Christi conficeretur & ministri dei Maozim fieri possint. adduxit tunc etiam hanc collationem, Quemadmodum beata Virgo Maria postquam peperit Christum, eum pannis inuoluit, in presepio collocauit, & adorauit: sic sacerdotes postquam confecerunt, & consecrarent corpus Christi, aut de nouo crearunt ipsum Christum, eum imponunt paruo pane in altari, & quem confecerunt, ac de nouo crearunt, adorant. itaque concludebat in mysterio, dignitate & sanctitate sacerdotes esse pares ipsi Virginis Mariæ, immo maiores: quia ipsa semel tantum Christum concepit, ipsi autem quotidie cum conficiunt & subinde creant.

## THEODIDACT.

Magno Ecclesiæ malo experimur hodie, nullus unquam temporibus magis licuisse audacia pro sapientia vti, quam hoc nostro calamitoso seculo.

G.

qua propter vehementer metuo, mi Philothee, ne quemadmodum Heuam decepit astutia sua serpens: isti quoque matæologi potius quam Theologî anilibus istis concionibus, ac fabulis plausibleibus multorum fidelium animos corrūpant, & à simplicitate Euangelica suis neniis ad superstitiones pelliciant. Quocirca necesse est errores, fabulas & imposturas istorum Maozinitarum in lucem proferre, & refellere ipsorum ineprias. Primum quod dicunt Mariam quinque verbis Christū in utero concepisse, nullū habet fundamētum in sacris literis, quod ad Hebraismū (quo ipsa virgo utebatur idiomate) ubi tantum sunt tria verba: deinde cùm dicunt Mariam fuisse virginem Deo acceptam, antequam in eius utero formaretur: credimus. Sed eos esse virgines vel Deo acceptos, negamus: nisi forsitan dici velint virgines, quo modo nomen Virginis falso sibi vendicant impudentissime meretrices. Sunt enim isti sacerdotes Maozim homines impurissimi, quoniam lenone spurciores, qui diurna nocturnaque manu scorta versant. Vide, queso, quantum absint à puritate virginis Mariæ. Nec mirum est si debent vngui, priusquam utantur munere sacerdotali.

dotali. Nam plerique eorum ita cōficiūtur morbo Hispanico, ut nisi inungeretur oleo, & vnguentis non ab episcopo aut suffraganeone consecratis: sed arte medicorum aut chirurgorum compositis, omnino in suis sordibus putreficerent, & frustatim ipsorum membra in terram putrefacta deciderent. cuius rei fidelissimus testis est ille tuus concionator Londinensis, qui cum hanc concionem haberet, adhuc ex illo morbo claudicabat: nomen ipsius honoris gratia subticebo, quod ramen lippis, ut aiunt, & tonsoribus, ac præsertim meretricibus notum est. postremò quod dicunt se in hoc esse similes Mariæ: quia sicut ipsa quem pepererat posteaquam pannis implicuisset, & in præsepe posuisset, adorauit: sic & ipsi Deum quem fecerunt, repositum in altari adorant. Falso quidem: sed non est Christus quem Maria adorabat, parua illa panis & vini portiūcula, quā falso affirmant virtute suæ consecrationis in substantiam corporis & sanguinis Christi esse transubstantiatam. Eadem prorsus impudentia nititur vulgus à cōmunicatione, quæ fieri debet sub utraque specie, arcere olim, inquit, quæstio illa, An populus fidelis participaturus eucharistiam,

teneatur eam sumere sub utraque specie, poterat esse dubia: Sed nunc post determinationem concilij Constantiensis, quod mentiri aut errare nullo pacto potest, dicere communionem sub utraque specie esse de necessitate salutis (ut loquitur Gabriel) omnibus fidelibus: est haeresis ibidem publicè condemnata: & ideo superfluum esset nunc velle ad probationem oppositæ veritatis multum nisi, cum omni probatione maior sit autoritas Romanæ ecclesiæ: in cuius fidei obsequium intellectum nostrum captiuare tenemur, omni postposita inquisitione. Nam eius determinationibus credere iubemur, & eas discutere prohibemur. Hæc est Maoz initica oratio.

## PHILOTH.

Si haeresis est, affirmare communionem sub utraque specie esse necessariam ad salutem: ergo Christus & Paulus, ex sententia concilij Constantiensis, sunt haeretici. Nam & Christus in Evangelio hoc posuit, & Paulus in suis epistolis idem confirmat.

## THEODIDACT.

Ad hoc respondent (utare eorum verbis) communionē sub utraque specie non esse præceptam à Christo, nec à Paulo generatim omnibus fidel-

bus, & indispensabiliter. Nam quanuis apostoli  
& cæteri fideles communicauerint sub utraque  
specie, tamen sic communicarunt propter factum  
Christi, non propter eius præceptum, quasi ad hoc  
de necessitate salutis fuerint obligati. Non enim  
factum Christi obligatione, ait Gabriel, semper  
inducit ad similiter faciendum. Præterea si ri-  
tus ille cōmunicationis sub utraque specie, fuerit  
in primitiua Ecclesia generaliter & vniuersali-  
ter obseruatus: Ecclesia tamen nunc ad eum ritus  
seruandū minimè deuincta est: sed rationabiliter  
& laudabiliter ab huiusmodi obseruatione potuit  
cessare propter diuersa pericula, quæ multiplicato  
fidelium numero contigerunt, & ita cessasse cre-  
ditur, & usus cōmunicandi sub una tātū spe-  
cie panis ad laicos & sacerdotes non celebrantes  
introductus: & taliter à cunctis Christi fideli-  
bus obseruatur per totam Ecclesiam occidenta-  
lem, exceptis paucis hæreticis & schismaticis, qui  
se ab huiusmodi obseruantia subirahunt in perdi-  
tionem & damnationem animarum suarū. ma-  
xime dū frequētant huiusmodi cōmunionem sub  
utraque specie, tanquam necessariam ad salutem  
contra generales Ecclesiæ determinationes, fa-  
ctas in nouissimis conciliis, Cōstantiensi & Ba-

DIALOGVS  
siliensi. Hactenus Biel lect. 84.

PHILOTH.

Ingens sane est impudentia & frāciscanulo digna, dicere cōmunicationem panis & vini simul fuisse admissam in Ecclesiam ex solo Christi facto, & non ex praecepto. neque enim Christus tantum calicem porrexit: sed instituit ut Apostoli sic in posterum facerent. Præcipientis autem verba sunt, Bibite ex hoc calice omnes, & Paulus sic factum esse cōmemorat, ut pro certo instituto commendet: & diligenter notāda particula vniuersalis, Omnes: quæ est apud Matth. cap. 26. quæ satis docet neminem fidelium cuiuscunque ordinis vel gentis sit, excludendum esse: ut scurræ plebeios contra Domini præceptum à calice arcent. Præterea mirum est Christum illa pericula futura, multiplicato fidelium numero, non præuidisse, nec Paulum de huiusmodi periculis cogitasse: sed dicant, quæso, quænam sint illa pericula, & cause: ob quas fas sit Ecclesiæ, institutionem Christi mutare, & in eius præcepto (ut garriunt) dispendiare?

Theodi-

Causas quā plurimas adducit Gerson cancellarius Parisiensis in tractatu quem edidit in concilio Constantiensi. Prima est, ut evitetur periculum distillationis & effusionis sanguinis Christi, qui non nisi cū magna cautela & prouide est tractandus propter fluidam speciem vini, quæ facile possit effundi, præsertim in tanta multitudine communicantium: cū ad communionem persepe conueniant homines tremuli, barbati, infirmi, mulieres ornatæ peplis, quæ satis prouide sanguinem sumere non possunt. Si enim pepla mulierum, inquit Gabriel, aut barbae virorum Christi sanguine madeficerent, ignibus crementa essent. Quam poenitentiam tales mulieres, & viri barbati, non sine molestia, murmure ac contradictione susciperent aut ferrent. Rationabiliter igitur & cautè ordinavit Ecclesia, communionem sub specie panis tantum debere percipi, quoad laicos, ut irreuerentia & periculum tale evitetur. Secunda causa quam allegant, est periculum quod foret in cōseruatione speciei vini pro infirmis, pro quibus, vt aiunt, semper debet esse parata eucharistia: periculum autem esset in cōseruando ne verteretur in acetum, & ita desineret

G. iii.

esse sacramētū: deinde periculum esset, ne con-  
gelaretur in hyeme, & ne bibiones & muscæ ge-  
nerarētur in estate, quantuncūque vas obstruere-  
tur, & ita redderetur ad sumendum abdominabi-  
le. Præterea periculū esset deferēdi ad loca remo-  
tiora, vbi cadere posset sacerdos, sive eques, sive  
pedes. Ne, credo equidē, si curio ebrius sit, quod  
ferē semper accidit, & pedibus eat, illi præ vino-  
lentia non faciant suum officium, aut si in equum  
ascendat, non audiat equus habens: atque ita  
sanguis Christi per plateas dispergatur: quod quā-  
tū esset nefas facile iudicare potes. Tertia causa  
quam allegant est, ut tollerentur errores, qui ex  
communicatione utriusque speciei orti sunt, aut  
oriri potuerunt. credere enim poterat communis  
populus ex tali communione, non tātū esse sub-  
vna specie quātum sub duabus. Præterea hic ri-  
tus debuit cessare ad tollendum errorem, quod  
communio sub vtraque specie fit omnibus ad sa-  
lutem necessaria: ad horum & similiū errorum  
extirpationē Ecclesia, inquit Gerson, cum sum-  
ma laude deseruit præfatum modum communi-  
candi sub vtraque specie. Quanvis multis annis  
præcedentibus ritus sub vtraque specie fuerit ob-  
seruatus.

Philoth.

## PHILOTH.

*Arguunt ebrietatem istorum interiorem hæ  
nugæ vel deliramenta potius: nam si plebeii non  
licitū sit cōmunicare sub vtraque specie propter  
barbæ periculum: nec idem eadem ratione Chri-  
sto, ipsiusque Apostolis licuisset.*

## THEODIDACT.

*Verū hos discretos fuisse dicunt, qui pericu-  
lum hoc vitare possent.*

## PHILOTH.

*Prouidos saltem ex plebe aut discretos (qua  
eorum est latinitas) admittere deberent.*

## THEODIDACT.

*Hoc inquiunt effet nimis seditiosum in Ec-  
clesia, aliquibus sub vtraque specie sacramentum  
præbere, non item aliis. Nullus enim vellet in-  
discretus aut incanus haberi.*

## PHILOTH.

*Iudicat igitur Pontifex suos sacrificulos, ve  
rè sunt, ineptos & improuidos, quos nisi raso-  
vertice & barba, sub vtraque specie finit cōmu-  
nicare, quod tamen cardinalibus & Romanis  
piscopis, quos prudentiores iudicat, etiam barba-  
ris permittit. Quod verò causantur de periculo fri-  
oris in hyeme, & caloris in æstate, ridiculum est.*

Nam si eorum Deus Maozim verus Deus es-  
set facile se à frigore & bibernibus ac mustis tu-  
eretur. Præterea si talis est Christus in sacra-  
mento, qualis est in sua naturali, ut aiunt, subsisten-  
tia: sanguis qui in venis est non possit distillare,  
nisi id magna vi fieret, ut si corpus eius perfore-  
tur aut vulneretur: sed qui resurrexit à mortuis  
non potest iterum mori. ergo neque perforari aut  
vulnerari, & per consequens non potest sanguis  
eius effundi. Est igitur friuolum quod dicunt alte-  
ram partem sacramenti non absq[ue] ratione & laude  
magna vulgo esse ademptam, propter periculum  
distillationis aut effusionis sanguinis Christi.

## THEODIDACT.

Christum talem esse in sacramento qualis est  
in sua naturali subsistentia, aperiissimè faten-  
tur. Nam dicunt ad prolationem verborum qui-  
bus vtuntur in consecratione vini, non tantum  
sanguinem Christi incipere esse sub spiciebus  
vini, sed & corpus Christi cum anima, excel-  
lentissimaque deitate: denique totum Christum  
perfectum Deum, perfectum hominem, secun-  
dum eandem naturam, partes & proprietates  
naturarum, sicut vere & realiter continetur in  
sua substantia naturali. Non est igitur sanguis  
Christi

Christi extra venas corporis & extra corpus modo fluido, ad similitudinem qua species vini in calice fluit. Talis est enim habitudo Christi sub sacramento, qualis est in sua existentia naturali (excepta sola locali circumscriptione) quæ etiam Christo in sacramento conuenire potest, absoluta & diuina potestate. Itaque sanguis in sacramento non est extra venas, & ita nec extra corpus. Quapropter qualisunque liquor, siue aqua, siue vinum post consecrationem mittatur in calicem, non consecratur, nec in sanguinem conuertitur. Nam tale vinum non potest sanguinem Christi contingere, aut ei commisceri: quia non est ibi modo fluido, sicut species: sed intra venas, quæ semper mediabunt inter vinum de novo infusum & sanguinem Christi in venis inclusum. Et ita contingere non potest sanguinem, sicut nec contingit sanguinem hominis, si corpori hominis superfundatur. H abes dogma Gabrie lis. Idem confirmat Innocentius papa, de quo ante locuti sumus.

## PHILOTH.

Isti homines profecto prorsus insaniunt, quod se suo ingulent gladio. Nam si sanguis Christi (ut ipsi aiunt) in est venis corporis Christi glorificati,

sicut inerat in sua naturali subsistentia: falsum  
esse sequitur, quod ipsitam pertinaciter affirmat,  
Christum in ultima sua cœna dedit discipulis  
verum suum corpus naturale in cibum, & ve-  
rum sanguinem suum naturalem in potum. Nam  
si sanguis Christi non continetur, ut liquor, in ca-  
lice, sed in venis corporis ipsius gloriosi: quomodo  
potuit Christus dare sanguinem suum naturalem  
in potum? potus enim non significat materiam  
solidam, sed fluidam. Deinde maximum nasci-  
tur absurdum, quod quilibet sacerdos bis quotidie  
deuoret verum corpus Christi naturale, & bibat  
eius sanguinem naturalem. Nam cum edunt cor-  
pus Christi verum, comedunt illud integrum, cum  
ossibus, carne, capite & capillis, totoque sanguine,  
& cum ceteris partibus, ut loquitur Gabriel  
lect. 24. integralibus. iterum postquam sub spe-  
cie panis integrum & verum corpus cum san-  
guine abligurierint: restat calix sumedus, id est  
sanguis Christi sub specie vini: at sanguis separa-  
ri a corpore non potest nec è venis elici post re-  
surrectionem. Bis igitur die corpus Domini de-  
uorent necesse est: O crudele genus hominum, sic  
nec rapaces lupi, nec turpes ursi in homines fero-  
cirent, nec quæcumque minor (ut ait ille) nobili-  
tate

tate fera est. Sed nunc finem sermoni faciamus  
ea lege ut cras, quæ reliquæ sunt, difficultates ex-  
plices.

## THEODIDACT.

*Faciam id quidē non inuitus, modō me Do-  
minus hac nocte seruet in columem.*

# D I A L O G I

## S E X T I

*Summa.*

Extus dialogus cōtinet quæstionem quæ mo-  
uetur inter Sophistas. An scilicet Christus in  
cœna comederit corpus suum proprium & na-  
turale. Et an Apostoli, & ipsa virgo Maria idem  
corpus comederint: Si verò idem corpus come-  
derint, an illud comederint mortale vel immor-  
tale, passibile vel impassibile. Si autem immorta-  
le aut impassibile cōmederint, quale nobis nunc  
cōmunicetur, vnde generantur vermes: & quid  
comedatur à muribus quando Sacramētum ro-  
dunt: declaratūrque cōuenientia Romani pon-  
tificis cum Nabugodonzore, qui in fornacem  
ardentem iusserat mitti omnes, qui nollent sta-  
tuam quam fecerat auream adorare.

DIALOGVS  
PHILOTHEVS.



ON dubito, mi<sup>r</sup> Theodide,  
dacte, quin velis promis-  
sis hesternis stare : qua-  
fiducia fretus pergo etiā  
difficultatem, quae oritur  
ex nono fidei articulo de  
transubstantiatione, tibi  
discutiendam proponere. An scilicet, ipse Christus & eius Apostoli, aut ipsa virgo Maria in  
ipsa ultima cœna, vel post resurrectionem com-  
derint ipsum verum corpus Christi reale & na-  
turale, quod sumpsit à Virgine.

THEODIDACT.

Rem arduam & questionem difficultem po-  
stulasti, ad quam magistri nostri Sorbonici, &  
doctores Oxonienses, qui carent duplice spiritu  
Eliæ, vix possunt respondere. Quidam enim ve-  
recundiores, nec habentes in verbo Domini quod  
ad hanc questionem respondeant, dicunt, Christum in cœna corpus & sanguinem suum disci-  
pulis suis tradidisse, non tamen ipsum sumpsiisse.  
nihil enim (aiunt) de factis aut dictis Christi  
debet

debet affirmari, quod auctoritate sacrae scripturae non traditur. Oxonienses vero, matæologi confidentes, omni pudore remoto, non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus, aut quæ statuant, dicunt, Christum in ultima cœna cum suis discipulis corpus suum proprium in manibus suis primò accepisse, fregisse, manducasse, Apostolis dedisse, & dentibus fregisse, & sanguinem suum proprium potasse, deinde suis discipulis tradidisse: quia Christus (inquit) cœpit facere & docere, ut est Act. 1. hoc quoque probant carminibus, Rex sedet in cœna turba cinctus duodenæ, se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

## PHILOTH.

O detestandam insanorum hominum phrenesim! quid hoc dicto absurdius fingi possit? nihil est tam præter naturam, quam si lupus edat lupinam, vel canis caninam. Præterea Lex non finit ullum sanguinem sumi, nedum hominis: qua propter verisimile non est, Christum qui non venerat solvere Legem, sed adimplere: contra Legem egisse, insuper nihil est diuisum à seipso: sed sumptū, diuisum sit à sumente: ergo si Christus seipsum sumpsit

& comedit, à seipso diuisus est, &c. Item, si Christus seipsum comedit in cœna. quero utrum comederit seipsum sacramentaliter tantum, an spiritualiter. Non autem spiritualiter, quia spiritualis sumptio sacramenti, est incorporatio: dicente Domino, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Incorporatio autem ponit distinctionem incorporati, & eius cui incorporatur. Ergo Christus non potuit seipsum spiritualiter comedere: quia sibi ipsi incorporari non potuit, qui sibi ipsi semper idem fuit.

## THEODIDACT.

Doctores illi & vanitatis amatores, non videtes quis sit finis institutionis huius sacramenti, dicunt Christum seipsum in cœna sumpsisse sacramentaliter tantum, sicut & Iudas. Alij vero qui habentur prudentiores, dicunt quod nec sacramentaliter nec spiritualiter seipsum sumpsit, sed aliquo modo nobis ignoto & occulto profusa voluntate.

## PHILOTH.

Quid aiunt beatam virginem Mariam in hoc sacramento sumpsisse? nam illam post Christi resurrectionem cum Apostolis cœnam Domini cam

cam celebrasse constat. Act. 2.

## THEODIDACT.

Dicunt eam quoque corpus naturale filij sui, in hoc sacramento accepisse, dentibus illud confrigisse & attrinisse. Hæc est enim fides Romanae Ecclesiæ, quam coactus est Berengarius contra Papa Nicolao publicè confiteri: nempe verum corpus Christi reale & naturale, quod natum est ex Virgine, verè manibus sacerdotum tractari, frangi & dentibus fidelium atteri. Igitur si Maria virgo sacramentum suscepit iuxta fidem Romanæ Ecclesiæ: comedit verum corpus Christi, quod conceptum ex purissimo eius sanguine nouem mensibus in suo utero portauit.

## PHILOTH.

Adhanc vocem totus tremo, horreoque. nam si Agar ancilla Abrahæ noluit videre filium suum mori inedia & siti. & illa apud Solonem mater maluit integrum infantem suum tradi alteri, quam medium in partes diuidi: quæadmodum Rex decreuerat. Quomodo potuit illa terrima virgo Maria corpus illud proprium & naturale filij sui, quod nouem mensibus gestauit in utero, comedere ac propriis dentibus atte-

H.

rere? Quid autem de discipulis dicunt? an etiam illi corpus Domini integrum cum carne, ossibus comedenterunt: atque eam preceptoris suo gratiam retulerunt?

## THEODIDACT.

Sic aiunt isti aëstro perciti sacrilegi.

## PHILOTH.

Si naturale corpus Christi comedenterunt, illud idem & consumperunt. (Nam hoc sacramentum sicut testantur Pascasius & Biel, duo insignes papistæ per usum mandationis transit & consumitur) Quomodo igitur illud naturale corpus quòd iam comedestum erat & digestum, potuit postea capi, ligari, flagellari & occidi? Præterea si comedenterunt corpus Christi naturale: quo, an comedenterint corpus mortale aut immortale, passibile vel impassibile, ut ipsorum utar pluribus.

## THEODIDACT.

Tam acutè & ingeniose disputas, ut nostri doctores Sorbonistæ & Oxonienses, vix sciant quid debeant tuis obiectionibus respondere. Nam venerabilis ille Hugo de sancto victore, de hac quæstione loquens: quemadmodū omnia secreta magis veneranda quam discutienda cœset: simplicitati etiā fidei hoc sufficere putat, si dicimus, Tale dedit,

*dedit, quale voluit, & rursus, Quale dedit ipse nouit: ideoque tale dedit quale voluit, quia omnipotens erat, & potuit omne quod voluit: itaque nouit quale dedit, quia sapientia erat, & non potuit ignorare quod fecit. Propterea leuis se ab hac questione absolutus & fortasse tutius in semetipsa subsistit, qui non dicit, Mortale dedit, ne videatur dicere contra sacramenti dignitatē: nec dicit, Immortale dedit, ne aestimetur credere contra eam, quae in Christo ante resurrectionem fuit, mortalis corporis veritatē. propter hoc fortasse melius est, ut neutrū definire presumamus, quāuis tamen credatur quod alterum fuerit. Habes verba Hugonis.*

## P H I L O T H.

*Hoc non est magistraliter respondere, nam licet Christus dederit tale quale voluerit, & quale voluit ipse nouit, nescitur tamen quale dare voluerit. mortale an immortale.*

## T H E O D I D A C T.

*Qui sunt audacieores in hac causa, & quæcumque noctu & in tenebris somniant non ventur in lucem proferre & palam docere, dicunt Christum in cena tale corpus Apostolis suis dedisse quale tunc habebat, nempe*

*H. ii.*

*mortale & passibile: nunc autē sumi à nobis immortale, & impassibile, nec tamen maiorem habere efficaciam, sicut nec maiorem potentiam.*

## PHILOTH.

*Si nunc est immortale, impassibile, incorruptibile, vnde gignuntur vermes? Farentur enim inter ipsos præcipui, vermes in illa sua eucharistia nasci: oportet ergo eos nasci, aut ex substantia panis, aut ex substantia corporis Christi. Non possunt autem ex substantia panis generari, quia secundum eos, nulla post consecrationem manet panis substantia: nec possunt generari ex substantia corporis Christi, quoniam sic de eius resurrectione vaticinatus est Psaltes, quod caro eius non viderit corruptionem, quare medacium esset manifestum, dicere inde vermes progigni. Ad hoc quero, si nunc sub speciebus panis sit corpus Christi immortale & impassibile: quid comedamus, quando sacramentum rodit?*

## THEODIDACT.

*Ad primā questionē obiiciunt magistri nostri hanc conditionem. Si per putrefactionem species sacramentales sic alterantur aut corrumpantur, ut inde vermes gignantur, tunc vermes illi immediate, & de novo à Deo producuntur.*

Philoth.

## PHILOTH.

Quasi verò Deus vermes creet à quibus comedatur filius suus unice dilectus, quē ab Angelis custodiri & gestari ipsorum manibus iussit, ne, ut est in Psalmo 91. ad lapidem pes eius impingat: illa est plaga quam Deus imponit tyrānis & superbis hominibus, ut Antiocho, Herodi, quos à vermis consumi voluit. Quid si contingat deum Maozim sic corrumpi à vermis, ut sumi non posset sine nausea & summo fastidio, quid tunc deo illi fiet?

## THEODIDACT.

Innocentius tertius, & Durandus Vulcano (ut dignus est) tradendum censem & honorificē in sacris reliquiis seruandum.

## PHILOTH.

O ingratum populum! qui Deum à quo tanta beneficia accepit(is enim eos fecit terrarum dominos, reddidit pingues & nitidos bene curatae, vestes byssinas & purpureas dedit) tam indignis modis tractet. Iudei quidem posteaquam Christum crucifixerunt, eum de cruce deposuerunt, & honorificē sepelierūt. Papistæ verò eum quem dicunt & credunt esse verum Deum, in synagogis suis suspendunt, & tandem ibi suspensum

H. iii.

*in pixide relinquunt, donec putrefacat: tandem cum eius aspectu amplius ferre non possunt, eum cōcremant: o ne phandum scelus! Sed si Deus ille Maozim quem colunt, & quotidie conficiunt esset verus Deus, hoc impune non facerent.*

## THEODIDACT.

*Recte conclusisti, nam Deus qui Iоachim regē Iuda sepulchra asini sepeliri voluit quod voluntina Hieremiae cōbūssisset, ut habemus Hiere. 36. ut qui propheticos libros igne cremauerat, is astu solis & gelu noctis rreretur: nulla ratione permitteret se tam indignè ab istis tractari: neque etiam in ultum ferent, qui sacra volumina etiamnum hodie temere in ignem coniiciunt.*

## PHILOTH.

*Ad secundam questionem nempe si corpus Christi quod in templo reseruatur & suspenditur, sit impassibile, immortale, & incorruptibile: quid comedatur à muribus?*

## THEODIDACT.

*Hec est una ex difficilioribus questionibus quam magistri nostri tractant in schola sorbonica Parisii & questionibus quodlibeticis Louanijs, ad quam quidem questionem quidam sat modeste & pie respondent, nēpe corpus Christi*

sti, nec à malis hominibus, nec à brutis animalibus posse comedи. Sed quamprimum labiis peccatoris, aut bruti animalis tangitur, tam citò euolat & definit corpus Christi esse sub speciebus. Sed Aquinas ille hanc opinionem ut ineptam reiicit & è contrario asserit verum corpus Christi sub speciebus panis & vini manere cùm à mure co-meditur, & in ventrem ipsius muris descendere: ibidemque manere donec species corruptantur. Non enim statim ut in ventrem species traiiciuntur, in aliud conuertuntur inquit Thomas: sed adhuc possunt de ventre animalis extrahi, & in usum hominis venire.

## PHILOTH.

Odiosa profectio piis auribus est ea vox, quod verum corpus Christi in ventre muris esse, & mox extrahi, & ad usum hominis venire possit: meus sane animus à tali cœna abhorret. At qui si corpus Christi maneret in ventre muris usque ad completam digestionem & plenam specierum alterationem: ex istorum sententia, qui diuinum cultum sacramento attribuunt, corpus Christi in ventre muris adorandum esset.

H. iii.

## THEODIDACT.

Audi quæso, verba Gabrielis lect. 84. ad hanc cōtrouersiam, ubi sic ait. Ante sumptionem, corpus Christi à sumente est adorandum, & post sumptionem gratiarū actionibus est vacandum. Vbi cunque tamen creditur esse corpus Christi, siue in ventre viri, siue in ventre mulieris, siue in ventre muris, siue in ventre porci, illic est venerandum, adorandum intus in corde & spiritu, licet non exterius in opere.

## PHILOTH.

Narrat idem nugo. lect. 34. ut ex te quondam intellexi, propter certam dissensionem inter Græcos & Latinos de azymis panibus, quod à quibusdam ob id iudaizare dicerentur, decretum fuisse in Ecclesia, ne amplius coena Dominicace lebraretur azymo, sed fermentato pane, quo usque cessaret ille error. Quod si tum sacrificius confrasset magnum panem, & ipso dormiente, dum suū pro defunctis Memeto, tacite murmurat, canis aliquis panem accepisset & deuorasset: tum si Thome & Gabrieli credimus, in ventre canis, non secus quam muris aut porci, adoradus fuisset Christus, sed cum his nugis nihil sit absurdius: facile possunt Christiani cognoscere Missam papisticam

pisticam & sacrificium illud transstantiato-  
rium esse inuentum diaboli.

## THEODIDACT.

Sic est: verūm non desunt nunc qui volunt fi-  
deles, & pios homines ad Missaticā illam abo-  
minariōnem, & execrādām idololatriam vi co-  
gere. nam quemadmodū apud Danielem cap. 3.  
Seus ille rex Nabuchodonozor ad sonitum in-  
strumentorum musicorum iussērat omnes flexis  
genibus statuam, quam fecerat, auream adorare,  
& qui non faceret in fornacem ignis coniici: Sic  
Anrichristus hodie Romanus, Nabuchodonozor  
re longè senior, ad pulsationem parui tintinnabu-  
li cum sacerdos supra caput sacrum illud crustu-  
lum eleuat, cunctos mortales vult prosterni, &  
nescio quibus anserinis sibilis honorem exhiberi  
deo illi panaceo, & quicunque non statim in ge-  
nua prociderit, eo quo dixi modo, indicta causa  
ad ignis supplicium, aut si quod est crudelius pro-  
trahatur. Habis editum Papæ quod confirmari  
iussit cōmuni omnium Regum & Imperatorum  
voce, quibus tanquam diaboli mancipiis utitur,  
ut quicunque non fuerit audiens dicto, tanquam  
hæreticus damnetur & comburatur.

## DIALOGVS

PHILOTH.

*Proh Phalarismum crudelissimum! sed credo  
Phalaris cum hoc collatus antichristo, mitis erit.*

THEODIDACT.

*Debiles in fide quādoque labūtūr & cadunt,  
statuāmque & deum transabstantiatum ado-  
rant, qui verò fortiores sunt, & in fide stabiles  
(quorum gratia Dei, iam per vniuersum orbem  
sunt plurimi) illi non mouentur ullis pœnis aut  
minis, neque vitæ periculum impedit ipsis, quo-  
minus perficiant cursum suum cum gaudio &  
ministerium quod acceperunt à Domino Iesu  
ad testificandum Euangelium gratiæ Dei: sed  
constanter respondent suo magistratui: sicut tres  
pueri responderunt Nabugodonozori: & sua fi-  
dei, alacri promptaque animo rationem reddunt,  
ut posthabitis omnibus idolis, & contempto deo  
impanato Veritati cœlesti testimonium dent.  
Atqui nunc Dominum nostrum rogamus, qui  
non solum cordis assensum, sed etiam oris exter-  
nam, in loco, confessionem à nobis exigit, ut nos  
in fide semper confirmet, & nos in amore suo  
usque ad extremum spiritum retineat.*

*Dialogi*

D I A L O G I  
S E P T I M I

*Summa.*

**S**optimus dialogus cōtinet interpretationem verborum institutionis cœnæ Dominicæ, & modum existendi corporis & sanguinis Christi, sub symbolis panis & vini in ipsa actione cœnæ Dominicæ: ipsomet Domino nostro Iesu Christo iudice & interprete.

PHILOTHEVS.

**I**C I non possit quâmo ego tuo delecter sermone: est ille mihi profecto, pro amore Dei, melle quovis dulcior: sed eam dulcedinem facile sentio non à te, sed Dei spiritu proficisci, qui per te tanquam organum, hanc suavitatem cordi meo affert. Nam quemadmodum oculi Ionathæ illuminati sunt

cum gustasset in summitate virgæ fauum mellis.  
 Sic degustata dulcedine verbi Dei in cōmunicatiōne sermonis tui, illuminati sunt oculi mentis  
 meæ, & tantam anima mea accepit consolatiōnem, ut dicere possim cum Davide Psal.83. Cor  
 meum & caro mea, contempta omni idolatria,  
 exultaerunt in Deum viuum. Itaque protestor  
 coram Deo & corā te pastore meo: quemadmo-  
 dum protestatus est Naaman coram prophetā  
 Elizeo, quod filius tuus (quem in Christo Iesū  
 per Euangelium genuisti, & peperisti donec  
 Christus formaretur in eo) nunquam ullum ho-  
 norem exhibebit deo illi Maozim, & deo Mis-  
 sarum, sed soli Domino, cœli & terræ creatori.  
 Tamen ad maiorem utriusque nostrum consola-  
 tionem, & fidei confirmationem, rogo te mi-  
 Theodidae, ut adhuc paululum sustineas tuum  
 in Christo filium loquentem, & veritatem si-  
 tientem audire.

## THEODIDACT.

Eloquere mi fili. Non enim fas est mihi quic-  
 quam tibi negare eorum potissimè, quæ pertinent  
 ad animæ salutem.

## PHILOTH.

Scimus quidem certò, deum missarum, deum  
 recentem

recentem in concilio illo Lateranensi, primò fuisse in catalogum deorum relatum, neque ullam fieri mentionem in sacris bibliis illius noui dei, quem fingunt Papistæ. Quanquam veritatis adversarij magistri nostri Sorbonici, Oxonienses & Louanienses, & omnes dei Maozim sacerdotes, allegat ipsissima Christi verba ad probandum eternum Dei filium Iesum Christum, natum ex Maria virginie in ea natura, substantia, & qualitate, qua pependit in cruce vere & realiter & personalitir in suo Missæ sacrificio cōtineri. Atq; ut hoc confirmant, adducunt omnium Euangeliistarum omnes authoritates, in quibus de edenda carne Christi, & eiusdem sanguine bibendo loquuntur, & maxime urgunt illud Ioannis 6. ubi Christus sic ait, Panis quem ego dabo caro mea est, quā ego dabo pro mūdi vita. Ecce (inquiunt) tot authoritates sacræ Scripturæ concorditer affirmant corpus Christi realiter & vere, sub speciebus panis, datum fuisse Apostolis: ac eisdem fuisse à Domino præceptū, ut in memoriam Dominicæ passionis corpus Christi sub specie panis offerrent, Hoc facite in mei commemorationem.

## THEODIDACT.

Isti homines semper sunt sibi similes. Nam in

omnibus cōtrouersiis Christianæ religionis semper solent ad sensum suum, non intellecta sacra scripturæ aptare testimonia, quasi grande sit, ac non potius vitiosum docēdi genus, deprauare sententias, & ad voluntatē suam detorquere sacram scripturam, quam ipsi nāso cereo comparant, & in omnem partem flexibilem putant. Ceterū si diligenter scruteris Scripturas, & scopum materiæ quām in præsentiarum tractamus, interiori mētis oculo circumspecte cōsideraueris, facile perspicies omnia testimonia male ab ipsis allegata esse, & ad dogma istud papisticum de nouo deo probādum minimè conuenientia. Non enim sequitur, Christus accepit panem, benedixit, fregit, dedit discipulis suis dicens, Accipite & manducate, hoc est enim corpus meum: & accipiens calicem gratias egit & dedit discipulis suis dicens, Bibite ex eo omnes, hic est calix meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ergo corpus & sanguis Christi vera ac in propria & naturali substantia quantum est de Virgine, & qua pepedit in cruce, continetur sub speciebus panis & vini. Sic tamen argumentatur Gabriel, non ille magni consilij

Angelus

*Angelus*, sed Biel noster subdolus quidam  
scurra & mendax patris sui, id est, diaboli ve-  
stigiis insistens, non cōtentus dicere corpus Chri-  
sti esse sub speciebus panis & vini, definitiuē.  
Reprehendit eos qui affirmant corpus Christi  
secundum omnes suas dimēsiones esse non posse  
in sacramēto vel in diuersis locis localiter, & cir-  
cumscripsiōe, & cum futili illo Scoto & Guil-  
lermo Octram & ceteris eius farinæ doctoribus,  
dicit corpus Christi non solum in diuersis locis es-  
se posse sacramentaliter, sed localiter & circun-  
scriptiōe ubique secundum omnipotentem suam  
voluntatem. Cūm autem corpus Christi non pos-  
sit esse realiter sub speciebus panis & vini, nisi  
per omnipotētiam Diuinam, ut ipse testatur, se-  
quitur quod illuc sit sub speciebus panis & vini  
localiter & circumscripsiōe, alioquin non suffi-  
cienter magnificabitur diuina omnipotētia.  
Hoc est argumentum istius angeli satanæ, qui  
se transfigurat in Angelum lucis, ut blandis istis  
verbis in nassam suam trahat corda innocen-  
tiū. Cæterū ad hoc quid respondere posses  
experiēre.

## DIALOGVS

PHILOTH.

*V*ideo facile negandam esse consequiam,  
sed quibus rationibus nō teneo. itaque te rogo, vt  
rationes ex verbo Dei petras exponas, quibus  
hec consequentia refelli queat: quod tibi cōfaci-  
lius erit factu, qui aliquando cum Theologastris  
Sorbonæ disputasti, & Sorbonicum illud vinum  
sorbiuisti, diu multūmque inter eos versatus.

## THEODIDACT.

*P*roh dolor, talem me fuisse fateor qualem me  
depinxisti: proinde quotidie cogor dicere cū Da-  
vide, Delicta iuuentutis mee, & ignorantias  
meas ne memineris Domine: & indefinenter  
gratias agere Deo & Patri, qui me segregauerit  
ex utero matris mee, & vocauit per gratiam  
suam, ut reuelaret filium suum in me. Qui eri-  
puit me à porestate tenebrarum, & transstulit in  
Regnum filij sui dilecti, per cuius sanguinem re-  
missionem peccatorum habemus: quare & tu mi-  
frater in Christo charissime, mecum gratias age  
eidem, qui me potentem reddidit Christo, qui que  
vires suppeditauit, ut Euangelium eius aunci-  
are: quia fidem me iudicauit. Non enim in-  
uenit me fidem, sed fecit: nec in me aliquid re-  
perit, quo dignus essem illi in tanto ministerio  
inseruire,

inseruire: quia prius eram blasphemus, persecutor, violentus & contentiosus, cum adhuc inebriatus essem vino illo sorbonico. Nam vinea eorum est vinea Sodome, proueniens ex suburbis Gomorrhae. Vua eorum vna fellis, & botrus amarissimus, fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Nunc tamen Dei gratia misericordiam consequutus sum, eo quod ignorans feci per incredulitatem. Quapropter non cesso gratias agere Deo, qui me idoneum fecit ministrum noui testamenti, non literae, sed spiritus. Liberatus igitur ab illis spinosis questionibus & contentiosis disputationibus sorbonicis, & in plena christiana libertate restitutus, ut spatiari possem in uberrimo illo sacrae Scripturae capitulo: libenter te volo iuuare, & ex mutuis scripture testimoniis Christi fidelibus palam facere, & quasi dico demonstrare consequentiam illam papisticam non valere. Christus dixit, Hoc est corpus meum, accipiendo panem: ergo corpus Christi naturale & reale continetur sub speciebus panis: quia a simili potest dari instantia. Christus enim dixit, Amen dico vobis, ego sum ostium, &c. quero nunc vitrum sequatur: Christus dixit, Ego sum ostium: ergo reuera erat ostium materiale & cor-

porale, & substantiale: vel, Si aliquis episcopus  
aut sacerdos accepto ligno diceret hæc verba, Ego  
sum ostium, quemadmodum dicunt: Hoc enim  
est corpus meum. Nam ea verba non dicuntur si-  
gnificatiuè (ut testantur papistæ), sed tātūm re-  
citatiuè. ànne virtute horū verborū possint tran-  
substantiare substantiam ligni in corpus Christi?

PHILOTH.

Non opinor.

## THEODIDACT.

Opinor narras! Nunquid verba illa tantè sunt  
efficaciæ ad transubstantiandum ostium in cor-  
pus Christi, atque hæc, Hoc est corpus meum, ad  
transubstantiandum panem in corpus Christi; fr̄  
serit cum non proferantur ab homine, tanquam  
ab homine significatiuè, sed tātūm recitatiuè, tan-  
quam ab eo in cuius manu sunt omnes fines ter-  
ræ, qui si subuerterit omnia, & in unum college-  
rit quis contradicet ei? nempe à Christo, in cuius  
manu, utpote Dei omnipotētis, sunt omnes crea-  
turæ. Igitur si episcopus aut sacrificius aliquis his  
verbis, Hoc est enim corpus meum, per omnipo-  
tentiam verbi Dei possunt conuertere substan-  
tiam panis in corpus Christi, per eandem Dei  
omnipotentiam poterunt transubstantiare lignum

in

*in corpus Christi: quia omnia Christi verba sunt  
æquè efficacia. Ipse enim dixit & facta sunt,  
ipse mandauit & creata sunt.*

## PHILOTH.

*Non video quid hic possint obgannire, nisi  
forsitan ostium esse durius quam ut commodè di-  
geri possit, & ideo Christum noluisse ex ligno  
deum facere: vel dicat se nolle imitari Ethnicos,  
qui lignea idola colunt: quorum tamen apud eos  
magna copia.*

## THEODIDACT.

*Non refert ex qua materia idolum fingat: sed  
in hoc Ethnicis sunt truculentiores: quia Deum  
suum dentibus costringant. Scriptum est Matth.  
18. qui recipit puerulum in nomine meo, me reci-  
pit, quæ certissima est sententia Christi, non ta-  
mè ideo qui parvulum recipit, Christum reuera, rea-  
liter, personaliter, & substancialiter recipit, vt na-  
tus est de Virgine. à simili nō sequitur: Qui reci-  
pit panem post consecrationem, vel species panis, re-  
cipit Christum. Ergo reuera recipit verū & natu-  
rale corpus Christi, & ipsum Christum in eadē sub-  
stantia, carne, ossibus, & sanguine quo natus est  
de Virgine. Itē alibi Christus ait, Quod vni ex  
minimis fratribus meis fecistis, mihi fecistis:*

## DIALOGVS

sicut ait, *Hoc est corpus meū, ostēnso pane.* Ergo si credere oportet sub pœna peccati mortalis, quēlibet panem super quem exhalauerit ea verba sacerdos debitē ordinatus, *Hoc est corpus meum:* esse integrum corpus Christi, eo quo iam sapienter dixi modo, eadem certe ratione credendum erit. Pauperem quemlibet cui eleemosynam damus, vel quem in domum nostram in nomine Christi suscipimus, verum esse Christum ēterni Patris filium, in ea natura, substantia, carne quā natus est de Virgine, & qua pependit in cruce.

PHILOTH.

*Validissima sunt hæc tua argumenta, quibus crassi monachi nescio quid respondere possint.*

THEODIDACT.

*Nihil plane: neque pinguis venter gignit sensum tenuem. Sunt alij innumeri in Scriptura loci quibus conuincuntur. Ioannis enim 9. Christus loquitur, Ego sum vitis vera, & vos palmites. Nunc quero, utrum sequatur, Christus dixit, Ego sum vitis vera, & vos palmites. Ergo Christus reuera erat vitis, realis, naturalis & materialis: & Apostoli palmites naturales & materiales.*

philot.

## PHILOTH.

*Ad hoc respondent verba illa esse figuratè dicta, quemadmodum alibi, Petra erat Christus, ubi petrū non accipitur secundum proprietatem naturæ, sed secundum similitudinem, ut sit sensus, ego sum petra, id est, ego sum similis petræ: sic ego sum vitis, id est, ego sum similis viti: quare per petram & vitem significor.*

## THEODIDACT.

*Eodem etiam modo debuerant interpretari quod Christus dixit, Ego sum panis, vel, Hoc est corpus meum, ut sit sensus, Hoc, nempe panis, Est, id est, repræsentat corpus meum. Quemadmodū interpretari sunt sancti patres veteris Ecclesiæ. Quod doctissimè quoque probauit pienissimus & doctissimus vir Thomas Crammerius archiepiscopus Catuariensis, decus Ecclesiæ Anglicane, in suo tertio libro de præsentia & modo existendi corporis Christi in sacramento cœnæ Dominicæ. Nam quemadmodum Christus dicitur lapis, sive petra, propter fortitudinis & soliditatis similitudinem, quia ædificia quæ fundantur super lapidem solida sunt & firma, nec corruere possunt: Sic qui ædificatur in Christo, qui nituntur eius verbo, & illi solo fidunt,*

firmi stant, nec ruere, nec confundi possunt. Vnde Christus ait, omnis qui audit verba mea & facit ea, assimilabo eum viro prudenti, qui ædificauit domum suam super petram, & descendit imber, venerintque flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, nec concidit fundata enim erat supra petrā. Et eadē ratione Christus dicitur panis propter similitudinē, quam habet ad panē materiale: similiter dicitur vitis propter similitudinē quā habet ad vitē. Nam quemadmodū panis cor hominis confirmat, nutrit, & confortat, & vinū cor hominis lētificat, recreat, & exhilarat secundum exteriore hominē: Sic corpus Christi fide apprehensum & effusio sanguinis eius præciosissimi, confortat, nutrit, confirmat, lētificat, recreat & exhilarat famelicum & sientem, secundum inneriorem hominem. Vnde Durandus in libello quem rationale diuinorum nuncupauit, libro quarto parte sexta canonis, exponens illud, Qui pridie quam pateretur accepit panem, &c. ait, Ideo panem & vinum in sacrificium corporis & sanguinis sui Christus instituit, ut in sumptione corporis & sanguinis Christi doceatur esse perfecta animæ refectio,

fectio, quia sicut præ ceteris cibis & potibus corporalibus, panis cor hominis confirmat, & vinum cor hominis lætificat: ita corpus & sanguis Christi, præ ceteris cibis & potibus spiritualibus interiorem hominem reficiunt & satiant. in his enim duobus consistit plena & perfecta interioris hominis refectione. propterea Christus ait, Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, qui manducat meam carnem & bilit meum sanguinem, habet vitam æternam. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Quia quemadmodum nihil magis recreat hominem lassum, quam panis & vinum, sic nihil potest magis lætificare, & sitim animæ extinguere, quam fidelis consideratio mortis Christi & effusionis sanguinis eius in remissionem peccatorum nostrorum. Itaque sicut Christus propter similitudinem quam habet ad petram & vitem, dicitur petra & vitis: Sic propter similitudinem quam habet corpus eius ad panem: & sanguis eius ad unum, vocat corpus suum cibum, & sanguinem suum potum, quia eius corpus in pane, & sanguis eius

*in vino, in sacro sancta institutione cœnæ Dominicæ, canætis Christi fidelibus repræsentatur, & ab interiori homine verè per fidem manducatur, & bicitur. Est igitur Christus verus & unus panis qui de cælo descendit, & dat vitam mūdo.*

PHILOTH.

*Potésne hanc tuam interpretationem confirmare, exceptis similitudinibus, alia auctoritate sacræ Scripturæ, ut fides nostra non sit in sapientia hominum sed in potentia Dei. Hoc est ut fides nostra nitatur auctoritate verbi Dei, & solo ipsius Euāgeliō.* THEODIDACT.

*Hæc interpretatio non est mea, sed ipsius Christi, qui via est, veritas & vita, ut de se dicit Ioan. cap. 14. Cùm enim quinque panibus & duobus piscibus saturasset quinque millia hominū, ob quā causam quærebāt cum Iudæi, ut facerent eū Regē, cùmque eū innuenissent dixit eis: ut habemus Ioann. 6. Amen amen dico vobis, quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis de panibus, & saturati estis, operamini non cibum qui perit, hoc est, estote solliciti, ut habeatis non cibum, qui in aluum descendit, & in secessum emittitur: sed ut cibum habeatis, qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis*

hominis dabit vobis, hunc pater cōsignauit Deus.  
Dixerunt ei, quid faciemus, ut operemur opera  
Dei. Respondit Iesus & dixit eis. Hoc est opus  
Dei, id est, opus Deo gratum, ut credatis in eum  
quem misit ille. Dixerunt ergo illi, Quod ergo tu  
facis signum, ut videamus & credamus tibi,  
quid operaris? patres nostri manducauerūt man-  
na in deserto, sicut scriptum est, Panem de cælo  
dedit eis, ad manducandum. Dixit ergo eis Ie-  
sus, Amen amen dico vobis, non Moses dedit  
vobis panem illum de cælo, sed pater meus dat  
vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei  
est, qui de cælo descendit, & dat vitam mūdo.  
Dixerūt ergo ei, Domine, da nobis semper pa-  
nem hunc: Dixit autem illis Iesus, Ego sum pa-  
nis vitae, qui de cælo descendit, qui venit ad me  
non esuriet, & qui credit in me non sitiet un-  
quam. His verbis apertissime declarat quid sit  
manducare corpus Christi, & bibere sanguinem  
eius: nempe per veram fidem illi incorpo-  
rari. Nam qui credit in Christum incorporatur  
Christo, & fit membrum eius, & per hoc man-  
ducat Christum & panem vitae, quem qui edit  
non esuriet unquam, & qui bibit, non sitiet in  
eternum. Ergo per fidem ad Christum venire, est

corpus Christi manducare: & credere in Christum quod mortuus sit pro nostra, omniumque salute, est sanguinem eius bibere, unde Augustinus ait, Quid paras dentem & ventre, crede & manducasti. In hoc igitur consistit tota controversia inter Papistas & Euagelistas. Nam Papistae dicunt in sacramento cœnae Dominicæ substantiam panis conuerti virtute consecrationis in corpus Christi, ipsumque Christum sub solis speciebus panis vere, & realiter contineri & manducari. Nos autem dicimus veram panis substanciam in sacramento manere, & ori externo hominis exhiberi, & quam certò scimus externo homini panem verum exhiberi, iam certò scimus interiori nostro homini per fidem verum Christi corpus, & verum Christi sanguinem communicari.

PHILOTH.

*Quis huius controversiae erit iudex?*

THEODICACT.

*Quis locupletior iudex dari possit quam Deus, qui solus iustus est, & iusticias dilexit, aequitate respicit vultus eius. iudicabit, ut ait Psaltes, orbe terræ in aequitate, & populos in veritate sua.*

PHILOTH.

*Sed Pater non iudicat quenquam, omne iudicium dedit Filio, ut omnes glorifcent Filium si-*

cur glorificant Patrem. Ioan. 5.

## THEODIDACT.

Sit igitur Christus in hac controuersia iudex qui constitutus est à Deo patre iudex viuorum & mortuorum. Dedit enim illi Deus linguam eruditam, ut possit opportuno tempore pronuntiare veritatē sūcienti, & palām facere quomodo debeamus verba sua intelligere. Sed audiamus Christū super hac re loquētem apud Ioan. cap. 6. ubi Iudeis omnia ex sensu carnis, quemadmodū etiamnum Papistæ faciunt, interpretatibus sic respondeat. Ne murturetis, inquit, Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Scriptū est enim in prophetis. Eterunt omnes docti à Deo. Omnis ergo qui audit à Patre & didicit ab eo, venit ad me. non quod Patrē viderit quisquam, nisi is qui est à Patre, is vidit Patrem. Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis ille vitæ. patres vestri comedérunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis ille de cælo descendens, ut de illo edat aliquis, & non moriatur. Ego sum panis viuus qui de cælo descendit, si quis ederit ex hoc pane, vinet in æternum, & panis quem ego dabo, caro

mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Vidésne  
quām aptē Christus concludat pro nobis contra  
papistas? papist& enim dicunt panē transubstan-  
tiari in corpus Christi: nos autē dicimus Chri-  
stum esse verum panem, qui nobis per verum &  
naturale panem in cœna exhibetur, & ab ipsis  
fidelibus in ipsa actione cœnæ Dominicæ fide  
sumitur. Nam quemadmodum corpus nostrum  
pane materiali & naturali confirmatur, nutri-  
tur, & roboratur: Sic anima nostra & homo  
interior in ipsa actione cœnæ Dominicæ, cum fi-  
de & gratiarum actione reducens ad memo-  
riam mortem & passionem Domini nostri Iesu  
Christi, vero pane qui de cælo descendit, & vero  
corpore Domini nostri Iesu Christi quod pro no-  
bis semel in cruce pependit, cōfirmatur, nutritur,  
& corroboratur: Ita dicitur corpus Christi co-  
medere. Et quemadmodum corpus & homo ex-  
terior vino naturali & materiali reficitur &  
exhilaratur: Sic anima & homo noster interior  
in illa sacra actione cœnæ Dominicæ reducens  
ad memoriam pretiosam Christi mortē & san-  
guinis eius effusionē in remissionem peccatorum  
nostrorum: vero sanguine Christi recreatur, refici-  
tur, & ita dicitur sanguinem Christi bibere.

Nec

Nec alio potu potest satiari, nisi sanguine Domini nostri Iesu Christi, qui semel effusus est in remissionem peccatorum nostrorum. Hec est germana interpretatio horum verborum, Accipite & māducate, hoc est enim corpus meū, &c. Propterea cōcludit, hoc facite in meam commemorationem. Et alibi: Cor. II. Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem Domini bibetis, mortem Domini annūciabitis donec veniat. Hanc autem doctrinam soli illi intelligunt qui scholam Patris frequentarunt, qui à Patre audierunt, & Spiritu sancto interius docēre dicerunt, & dociles se præbuerunt. Ipsi verò papistæ & Maozinitæ, qui Patrem trahentem nolunt sequi, eūmque in Filio & per Filium loquente audire recusant, nec ab ipso volunt discere. Illi nō possunt percipere quid sit corpus Christi spiritualiter, & per veram fidem comedere: sed omnia Christi verba carnaliter interpretantur, cùm tamen nemo sit melior & aptior suorum verborum interpret̄, quam ipse Christus cui soli in hoc negotio credere debemus. Ideo cùm in terris agens Christus figuratè & obscure loqueretur: petebant ab eo expositionem Apostoli cui plane acquiescerent: quos in hac quoque contro-

uersia imitari debuerant Papistæ: & auscultare illi supremo iudici, qui hanc materiam dilucide explanauit (quem Pater celestis, filium suum dilectum esse testificas, solum ab omnibus audiri vult:) non autem sensibus suis confidere aut murmurare, ut Capernaitæ fecerant.

## PHILOTH.

*Non est sane Christiani hominis litem inferre Deo, neque enim ille sententiam semel prolatam renocat, aut consilium mutat.*

## THEODIDACT.

*Nihil minus: non enim est Deus sicut homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur: Dixit, & non faciet? loquitus est & non adimplebit? absit. Num. 23. non mutat igitur supremus iudex sententiam, sed confirmat minaturque transgressoribus, & suæ sententiæ non acquiescentibus gravissimam poenam. Amen amen, inquit, dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus*

verè est potus, qui edit meam carnem & bilit  
meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.  
Hic secundo ostendit, quid sit manducare car-  
nem eius & sanguinem eius bibere: nempe, in  
Christo manere, & Christum in se manentem  
habere, & per hoc qui non manet in Christo, &  
in quo non manet Christus, procul dubio non ma-  
ducat eius carnem, nec bilit eius sanguinem, e-  
tiam si tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi  
manducat & bilit. Hæc August. tract. 36. in  
Ioan. Et alio loco. Signum, quia manducauit &  
bilit, hoc est, Si manet & manetur, Si habitatur,  
si hæret & non deseratur: sequitur ibidem apud  
Ioann. Sicut misit me viuēs Pater, & ego viuo  
propter Patrem, id est, ad gloriam Patris: Ita qui  
manducat me, ipse viuet propter me, id est ut me  
glorificet, Hic est panis ille, qui de cælo descen-  
dit, non sicut comederūt Patres vestri manna &  
mortui sunt, qui edit hunc panem viuet in ater-  
num. Ergo Christus est verus panis, qui oblatus  
est semel in cruce pro nobis, quem qui vera fide  
comedit & bilit, & in eum confidit, non esuriet  
neque sitiens in aeternum. Nam, ut supra dictum  
est, manducare carnē Christi & bibere eius san-

guinem iuxta Christi præceptum & interpretationem, nihil aliud est, quam credere Christum semel pro nobis esse mortuum. Et sanguinem eius bibere, est credere sanguinem eius semel fuisse effusum in remissionem peccatorum nostrorum. Hæc est ipsissima Christi doctrina, quam audientes Capernaitæ, durum esse sermonem dixerunt, neque quicquam intellexerunt eorum quæ dicebantur à Christo, ut nec adhuc hodie papista.

## PHILOTH.

*Animalis homo, inquit Paulus, non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia illi sunt. Itaque non potest cognoscere quod spiritualiter dijudicatur per spiritum. Spiritus autem omnia diuidat & scrutatur etiam profunda Dei, qui autem spiritum illum non habent, verba Christi intelligere non possunt: quales erant Iudei, qui pertinaciter sibi persuadebant corpus Christi esse carnaliter manducandum ac dentibus contendum. Propterea exclamabant, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*

## THEODIDACT.

*Talis est fides & confessio fidei Romanae Ecclesie*

clesiae & omnium Papistarum: quam coactus est  
confueri Berengarius in concilio generali Romae  
celebrato, praesidente Papa Nicolao, scilicet pa-  
nem & vinum quae in altari ponuntur post con-  
secrationem, non solum sacramentum, sed etiam  
verum corpus & sanguinem Domini nostri Ie-  
su Christi esse. Et verum corpus Christi quod na-  
tum est de Virgine, in veritate manibus sacer-  
dotum tractari, frangi & fidelium detibus atte-  
ri. Atque hec mire congruit cum illa Iudeorum  
murmuratione aduersus Christum, Ioann. 6. vbi  
cum quidam ex discipulis eius etiam offendere-  
rentur, dixit eis, Quid igitur cum videritis Fi-  
lium hominis ascendenter, vbi erat prius: ac si di-  
ceret, Tunc cognosceris quia non eo modo quo pu-  
tatis, corpus meum erogabo vobis manducandum,  
nempe naturaliter, & corporaliter. nam cum in-  
tegro corpore quod accepi de Virgine, utique  
ascensurus sum in celum. pugnat igitur doctrina  
illa de carnali manducatione corporis Christi  
cum articulo nostrae fidei, qui est de ascensu cor-  
poris Christi in celos.

PHILOTH.

Taceantne hic Papistæ?

K.

## THEODIDACT.

Non tacent: Sed mutant veritatem in mendacium, & credunt Antichristo potius quam Christo & veritati. Nam cum Christus dixerit, Spiritus est qui vivificat, caro autem non proficit quicquam. Audent isti cum illo Antichristo Romano episcopo hanc Christi senteniam inuertere, & dicere carnem in hoc sacramento omnia peragere, & spiritum tantum per accidentes in hoc sacramento operari. sic enim determinauerunt omnes Papistæ, & potissimum noster Gabriel in canone sua Missæ, ubi aperte non veretur dicere sacramentum eucharistiæ non fuisse à Christo institutum, ut esset spiritualis refectio animæ: sed carnalis & communis tam bonis quam malis, tam brutis animalibus quam hominibus: quia manentibus speciebus, inquit, quoctunque deferatur, siue ad os muris, siue ad os suis, siue ad alium locum immundum, semper manet ratio sacramenti, nec desinit Christus esse sub iis speciebus. Imò dicendum est, verum corpus Christi manere adhuc sub speciebus à bruti ore acceptis, & in ventre traiectis. Quod autem aliquis hoc sacramento spiritualiter reficiatur, fit per accidentem. dicitur autem quodammodo refectio spiritualis: quia corpus Christi reale, quod

naturæ

natum est de Virgine, sub speciebus panis & vi-  
ni inuisibili & insensibili modo recipitur. Hæc  
Gabriel. Carnem ergo potissimum querunt & extol-  
lunt Papistæ in hoc sacramento. Nam in illa a-  
ctione sue Missæ Papisticae, & communione  
sub altera specie, nihil agitur de fide, de prædica-  
tione mortis & passionis Domini nostri Iesu  
Christi, sed tantum de carne. sufficit enim illis mo-  
do persuadeatur populo in illo suo Missæ papisticae  
sacrificio, sub speciebus panis & vini verum cor-  
pus Christi, & verum & naturale eius sanguine,  
verè, realiter, carnaliter, & naturaliter ades-  
se & cōtineri: attamen hæc omnia, etiamsi vera  
prædicarent, nihil nobis prodeßent, nisi vera fide  
credamus illū pro nobis passum, & sua morte pec-  
cata nostra expiassē. quid enim profuit Caiphæ?  
Quid profuit Pilato? quid Herodi? Christum in  
ipsoru[m] ædibus, in carne & naturali corpore, quod  
sumpserat ex Virgine, præsentē habuisse, & rece-  
pisse: cum in eum nō crediderint, & Christus non  
haberet in eis ubi caput reclinaret? nihil etiā pro-  
fuerit virgini Mariæ, Christū in utero portasse,  
nisi prius eū concepisset corde quā corpore. Ma-  
net igitur perpetuò vera Christi sentētia, Spiritus  
est qui vivificat, caro non prodest quicquā: quem

textū exponēs Augustinus tract. 27. in Ioann. recedētibus, inquit, illis qui verbis Christi scādālizati fuerant, & restantibus duodecim Apostolis, instruxit eos Christus de eo quod dixerat, Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Caro, inquit, non prodest quicquā, eo modo quo intellexerunt illi carnales discipuli (& quo modo intelligunt Papistæ) qui existimant carnem Christi carnaliter manducandam. Spiritus est qui viuificat, id est, caro spiritualiter sumpta viuificat: verba quæ loquutus sum ad vos, Spiritus & vita sunt, id est, spiritualem habent intellectum, secundum quem caro vitam præstat: si fide scilicet & spiritualiter sumatur sub symbolis panis & vini in sacramēto corporis Christi. Intelligat igitur hoc Papistæ, & resipiscant, & palinodiam canant, aut confiteantur se veros esse antichristos, quandoquidem audent & Christo, qui corda hominum nouit, & Christi verbis cōtradicere. idque ventris tantum causa: quia si sup̄imi illius iudicis sententiæ acquiescant, & spiritualiter corpus Christi in sacramēto sumi concedant, timent ne actum sit de ipsorum culina, & remoto nidore veluti musce auolare cogantur: veretur, inquam, ne si hoc admittār, cessent ipsorum

rum sacrilegia & nundinationes Missarū, quæ rem culinariam maximē iuuant atque augent.

PHILOTH.

*Viden' otium & cibis quid faciat alienus?*

THEODIDACT.

*Video: neque enim alia est causa tantæ obſtinationis & diabolicæ audaciæ, qua tuentur abſurdissimam illam doctrinam de carnali & corporali Christi præſentia in ſuo Miffæ ſacrificio, que omnino pugnat cum articulo fidei de ascēſione Christi in cælos.*

PHILOTH.

*Nunc gratia Domini, clarè perſpicio cōmentum illud Papisticum de nouo deo, pugnare cum catholicæ Ecclesiæ fide: quod excogitauit illa lauitoris vietis cupiditas.*

THEODIDACT.

*Verū illa papistarum doctrina non ſolum eſt contraria articulis noſtræ fidei, (ut ſuperius declarauimus) ſed peccat contra primum & ſecondum præceptum Decalogi.*

PHILOTH.

*Qui ſic? declara obſecro.*

THEODIDACT.

*Nōnne vides plures in Miffæ ſacrificio coli*

K. iii.

deos, cum Decalogus vnu, eumque solum Deum adorandum ceseat: ipsi vero Maozinitæ arte quædam magica binos deos conficiant: unum ex substantia panis, alterum ex substantia vini: adeò ut bis, ut supra audisti, carne Christi, ossibus & sanguine illa farciant? PHILOTH.

Intelligo & nemini. Eadem etiam, credo, ratione contra secundū præceptū, nēpe, Non facies tibi statuam, neque ullum simulachrū, &c. Papistas peccare dicis, quod crustulum illud sacrum & panem pro vero Deo venerentur.

## THEODIDACT.

Omnino: Ecqua potest fingi maior idolatria, quam cum sacrificus histriconis induitus vestimentis particulam panis supra caput eleuat, ut quicunque circumstant, nescio quo furore perciti, ad sonum cāpanulæ, complicatis manibus, omnes in genua procident ad adorandū illud crustulum. Quanquam Antichristus cum sociis suis, Sathanā duce & præceptore, ut Missaticam illam idolatriam melius fouverent, secundum mandatum Decalogi subtrahere, & ultimū in duo dividere conati sint.

PHILOTH.

His sanè, ut narras, imposturis populum sedunt,

cunt, quò tyrannidem sum in corpora & ani-  
mas liberius & cautius exerceant. Nam sic de-  
cem præcepta in papismo doceri memini:

*Vnū crede Deum: Ne iures vana per ipsum:  
Sabbata sacrifices: Habeas in honore paretes:  
Ne sis occisor, Fur, Mœchus, Testis iniquus:  
Vxorem alterius: Nec rem cupias alienam.  
In his versibus nulla simulachrorum fit mentio.*

## THEODIDACT.

*Audio: sed quis istos furiosos vates, tam cle-  
gantes versus componere docuit?*

## PHILOTH.

*Idem qui picas & psittacos non intellecta  
verba sonare docet, Magister artis, ingeniique  
Largitor Vēter: nam neque ipsi, quanvis illa præ-  
cepta nonnunquam recitent papistæ, quicquam  
eorū intelligunt aut faciunt: sed carnis suæ tātū  
præoccupati sensibus, omnibus prauis cupiditati-  
bus frena laxat.* THEODIDACT.

*Quemadmodū olim Iudæi, ob insignem per-  
tinaciā qua Deū ad iram prouocarū t in deserto,  
& spreto māna (quem sine labore ipsorū cælo ci-  
bū demiserat Deus) cōcupiscentia carniū exar-  
serunt, in sensum reprobum traditi sunt: adeo ut  
opera manū suarū, Vitulū illum aureū pro Deo  
colerent. Sic etiam, postquam Christus mundo*

patefactus, & à Patre missus est, ut verè esset  
caelestis panis, ius qui vera fide amplectentur  
gratiam in morte & sanguine ipsius oblatam:  
Papistæ, qui cōtemnentes eam gratiam, non fide,  
sed ore & dentibus carnes Christi, cum cæteris  
partibus, ut loquuntur, integralibus, deuorare ma-  
luerunt: iusto Dei iudicio, spiritu vertiginis acti,  
deflexerūt à recta via, ut loco Dei, paruam fari-  
næ portiunculā adorent: Atque eas non ita dissi-  
miles meruit utrorumque ingratitudo pœnas: di-  
gni scilicet hac mercede, qui descierunt à veri-  
tate, ut talibus præstigijs eos fascinet Sarhan. Nos  
autē perpetuas Deo gratias agamus, qui nos sin-  
gulari sua misericordia è tenebris, quibus olim e-  
tiam immersi fuimus, eripuit: ut recepti in ipsius  
Ecclesiam sempiternas ipsius laudes concorditer  
omnes prædicemus: rogantes ut Antichristi re-  
gnum imminuat, tyrannidem ipsius reprimat:  
& iis, qui adhuc ignorantia peccant, oculos ape-  
riat, tenebras discutiat, mentesque suorum fide-  
lium veritatis luce illustret: donec rādem per Ie-  
sum Christū in die restauracionis omnium frua-  
mur beata illa immortalitate, quæ nobis eiusdem  
sanguine parta est, Amen.

F I N I S.

A 1899319  
ser 66 815692







